
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [1] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 14, [3] - -

[Varia rhetorica et logica]

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [4] - -

DECADES TRES EPISTOLARUM, HUBERTI LANGUETI, JO. CAMERARII IO. CRATONIS ET CASP. PEUCERI;

Promulsidis locô

APPARATUI

EPISTOLARUM THEOLOGICARUM

majori

præmittuntur

&

Primùm prodeunt

è

Muſeo

IMMANUELIS WEBERI,

J. U. D. Prof. Publ. Gieſſenſis.


FRANCOFURTI AD MOENUM,

Apud JOANNEM MAXIMILIANUM à SANDE,

Anno MDCC II.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 14, [5] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 14, [6] - -

LECTOR HONORANDE.

INcidi nuper in thesaurum Epistolarum, quas Reformatæ Religionis Theologi præstantiores ab anno supra sesquimillesimum sexagesimo ad exitum ferè istius seculi ad Illustriss. Comitem L. de W. miserunt, argumenti plenas varii & Historiam Ecclesiasticam quàm maximè illustrandis. Autores illarum Epistolarum sunt Theodorus Beza, Jo. Piscator, Zach. Ursinus, Franciscus Junius, Hieronym. Zanchius, Dav. Pareus, Jo. Pinerius, Joan. Grynæus, Joan. Guil. Styckius, Rudolphus Gualterus, Jo. Wolfius, Henricus Bullingerus, Dan. Toscanus, aliique quorum maxi-

ma ſemper fuit tùm apud ſuos, tum apud orbem eruditum univerſum autoritas. Omnes propriâ celeberrimorum Virorum manu exaratæ extant, & ad plerasque ipſius Illuſtriſſimi Comitis reſponſiones, è ſchedis ejus, prout vel integras, vel potiora earum capita in easdem conjecit, eruendæ. Non puto, hactenus lucem publicam eas adſpexiſſe, quod quidem de pleriſque certò conſtat, non item de Bullingerianis, cujus Scripta integra decem Tomis conſtantia mihi videre nunquam licuit. Dignas tamen cenſui quæ ſimul cum reſponſoriis in publicum prodeant, utpotè in quibus tum multa alia egregia continentur tùm plurima, quæ circa Religionis negotium occultis conſiliis geſta fuerunt, denudantur. Et animus eſt, ſimul ac per negotia licuerit labori manum admovere, hunc que non exigui momenti apparatum cum Eruditis communicare, quò ſaltim ab iſtis qui eadem cum laudatis Viris Sacra colunt, gratiam aliquam me inîturum confido. Interea verò dum expecto, qui ſumtus ad editionem offerat, præſentes tres Decades Epiſtolarum, itidem à Magnis Viris ad Heroem ſuâ ætate non genere magis, quàm virtu-

vitutè & eruditione conſpicuum ſcriptarum, prodromi, vel ſi mavis, Promulſidis in vicem evulgare placuit. Exceptæ ſunt omnes Langueti hactenus magno Doctorum applauſu, & optandum, ut reliquæ, ſicubi adhuc latitant, in lucem protraherentur, quò tandem integras illas haberemus, quæ Comment arcorum loco eſſe poſſunt, rebus per totam Europam eo ſeculo geſtis non parum illuſtrandis. Ego ſymbolâ hâc, exili licet, publico bonorumque votis deeſſe nolui, ne & hæ diutius ſuppreſſæ tandem planè intercidant, quod cum quamplurimis contigiſſe vel ex eo conjicere licet, quia literarium Commercium tot annos inter Illuſtrem Comitem & Languetum frequentatum non potuit non numerum epiſtolarum multò reddere auctiorem. Inſerui his unam ex Volumine ad Sydnæum, quadrageſimam ſcilicet tertiam, quæ Comiti deſtinata quum ad ipſum non pervenerit, commodè tamen inter præſentes locum habere videbatur. Alicubi ad alias Langueti literas remiſi, ubi res plenius tractat, ut hoc paralleliſmo opitulante locis difficilioribus lux aliqua affunderetur. Unum reſtat, quod circa Inſignia anguetî hac occa-


occasione silere non possum. Inspicienti eadem, prout Iconi è Galliâ acceptæ subjecta Dn. Ludovicus, in Academiâ Fridericiana Professor celeberrimus, in editis ad Augustum Epistolis exhibet, occurrit in scuto formæ ovatæ seu Italicæ figura triangularit, auro tincta, cum inscriptis in quolibet angulo stellis minoribus; Sed longè ab his abit digma, quale in sigillo meis literis impresso invenio, nimirum in scuto quadrato infra in rotunditatem vergente, & torevmatico opere marginato, (Galli *cartouche* vocant) apparet fascia, medium scutum intersecans, & tribus aviculis volantibus comitata, quarum duæ in superiore, una in inferiore parte dextram versus tendere conspiciuntur. Supra scutum literæ H. L. nominis initiales, comparent. Undè hæc insignium diversitas, & quomodo conciliari possit, illi videant, à quibus imaginem suam accepisse Dn. Ludovicus in præfatione ad Epistolas testatur.

Quod reliquas Virorum summorum literas attinet, fateor, me adeò certum non esse, annon earum aliquæ jam antè prelum subierint. Nam quamvis non lateat, Camerarii epistolas tùm ab ipso,

ipſo, tum inſigniter auctas à Filiis ejus quondam editas; licet etiam cum aliis Cratonis Opuſculis Epiſtolas prodiiſſe non ignorem, nunquam tamē contigit, hæc ſcripta propius intueri, vel curatius evolvere, neque per temporis, quo publici juris hæc facere conſtitui, anguſtias, alios de eâ re conſulere vacavit. Spero tamen, ſi vel maximè jam alibi excuſſæ ſint, me ideò operæ precium non perdidiſſe, nec apud æquum Lectorem veniam & excuſationem mihi iridenegatam. Feci enim, quidquid feci, bona fide, & publico ſtudio, in quô tametſi quid aliquando ſecus eveniat, condonari tamen id facilè poteſt, ubi de honeſtate conatuum conſtiterit. Vale Lector, & his fruere, donec promiſſus Epiſtolarum Apparatus lucem adſpiciat. Gieſſæ, prid. Non. April. A. MDCCII.

EPI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 14, [11] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [12] - -

EPISTOLA I.

Conqueritur de Socordia Procerum Germanorum. De Comitiis Francofurtenſibus judicat. Exponit ſtudium Ferdinandi II. de Filio Rudolpho II. in Regem R. eligendo Gallica.

ITa admiror raram illam in fortuna Illuſtri humilitatem, & alias eximias virtutes, quibus DEUS te & Magnificum Dn. fratrem benignè ornavit, ut inter ea, quæ mihi in vita feliciter contigerunt, id reponam, quod me veſtra benevolentia non indignun judicaveritis; & utinam aliquo officiorum obſequio teſtari poſſem, quanti id faciam. Diſcedens hinc à me petiiſti, ut per occaſionem interdum ad te ſcriberem, quod hactenus ideò non feci, quia nihil habui, cujus cognitionem tibi voluptatem adferre poſſe crederem. Veritus autem ne tandem in negligentiæ ſuſpicionem inciderem, malui ſcribere quæ jam ſuccurrunt, quam nihil ſcribere, cum præſertim plurimum interdum noſtra interſit, triſtes rerum eventus & impendentia pericula noſſe, ut maturè adverſus ea quæramus remedia, aut nos paremus ad fortiter ferendum, quicquid accidet. In iis ſanè, qui ſummæ rerum præſunt in Germania, non video quantum ſit ſpei reponendum; nam plerique eorum adeò ſunt conſternati iſtâ noſtrorum clade in Gallia, * ut non cogitent de periculis, quæ imminent, virtute aut conſilio propellandis, ſed ineant rationes, quibus ſuperbiſſimos victores ſibi concilient, quos ut irritarent, videntur antea dediſſe operam. Utinam miſerando exitu Procerum inferioris Germaniæ edocti, intelligerent, eos, cum quibus eſt ipſis negotium, vel leviſſimas

* *Intelligit prælium ad Jarnacum, quo Condæus cecidit, d. 13. Mart. Conf. Epiſt. ad Auguſt. Lib. I. 41. p. 89.*

mas injurias altamente reponere, & interea, dum eos ulsciscendi occasionem expectant, esse miros artifices simulandæ benevolentiæ. Cum isti reges dementati arribus Pontificis Romani hæc sibi & suis exitiosa bella ideò tantum moveant, ut ejus Authoritatem vel sua ruina sanciant, procul dubio non erit difficile Pontifici, ipsis persuadere, ut ubi suos oppresserint, idem tentent adversus eos, qui primi fuerunt authores defectionis ab ipso, cum præsertim non desint, qui perpetuò ipsis insusurrent, parum esse, dejicere noxiam arborem, si relinquantur radices, ex quibus renasci possit. Dudum autem sunt persuasi, à Germanis proficisci causam istorum malorum, cum quibus conflictantur, & vident ex Germania in suas ditiones aliquoties inductos fuisse exercitus, qui hactenus impediverunt, ne id, quod in animo habebant, perficerent. Pontificii accesserunt ad hunc conventum* magnis spebus pleni, & cum viderent, se reliquos numero suffragiorum longè superare, dederunt operam, ut dudum jactis impendentium malorum fundamentis aliquid superstruerent: Nam conati sunt aliis extorquere, ut decerneretur, impensis Imperii alendos in hac ora Rhenana bis mille equites, qui semper præsto essent Imperatori, aut eis, quibus id muneris ab ipso demandaretur, ad opprimenda quælibet initia motuum in republica. Horum equitum præfecturam tam certaspe, (uti multi dicunt,) sibi desponderant, Ferdinandus Archidux & Bavarus, ut eos jam inciperent conscribere. Hoc quidē consilium in tàm turbulento rerum statu minimè improbandum videretur, si esset consensus in republicam, & ejus salutem tanquam scopū, in quem collimaret, quilibet sibi proponeret; sed præcipuè in ea nescio quibus inanibus spebus patiuntur se regi, penè parati patriam ipsis prodere, & cum omnibus sit notum, eos haberi ludibrio, soli id ignorare videntur, quod paulo post suo magno malo discent. Qui itaque rectius sentiunt, veriti, ne libertatis vindices constituerent eos, à quibus libertati sit maximè metuendum, nihil in ea re decernere voluerunt. Imperator petit, ut Orangius & Bipontinus ob turbatam Imperii quietem proscribantur. Ferdinandus Archidux & alii petunt sibi rependi damna, quæ istorum exercitus subditis ipsorum dederunt, quæ eorum æstimatione in ingentem pecuniæ summam excre-

* *Comitia Francofurtensia.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 14, [14] - 2

excreſcunt. Albanus repetit pecuniam interceptam ab Electore Palatino,& dicit, eam ad ſuum Regem pertinere, & conqueritur de principibus, qui ſuis interdixerunt, ne ipſi militarent, & ait, ſibi fieri magnam injuriam ab iis, qui dicunt ipſum oppugnare eos, qui ſunt confeſſionis Auguſtanæ. Non deſunt etiam hic, qui de ipſo Albano conquerantur, ut Emdenſes, Battenburgenſes * recens ab eo ditione exutus & alii. Non dico omnes iſtorum querelas injuſtas eſſe; nam non eſt dubium, Orangii & Bipontini exercitus maxima damna miſeris Colonis intuliſſe; ſed hæc recenſeo, quia puto ab iſtis principibus eas querelas ideo huc deferri, ut ſe in Imperii conventibus tantum jus ſuum velle perſequi, noſtris perſuadeant, & eos ſecuros reddant, cum nihil minus cogitent; nam dubito, ubi noſtros in Gallia oppreſſerint, ipſos habere in animo ſuos gladios eorum ſanguine madentes iſtarum controverſiarum judices conſtituere. In hoc conventu nihil inſigne decretum iri exiſtimo, ſed pleraque rejicientur in futurum Impenii conventum, quem ad autumnum dicunt indicendum Vormatiam aut Spiram, cum tamen plerisque Ratisbona aut Norimberga ad eam rem commodior videretur: Sed quia Eccleſiaſtici metuunt, ne tempeſtas illa, quæ jam Galliam concutit, ipſos tandem inundet, petierunt, ne procul à Rheno diſcederetur: exiſtimant enim, ſi ſub illud tempus miles Germanicus ex Gallia dimittatur, ſe adverſus ejus vim & injurias conventûs authoritate tutos fore; ſed (ut inquit ille:) *facilè contemnitur majeſtas, quæ viribus non nititur*, & præſertim ab eo genere hominum, cui eſt ibi fas, ubi maxima merces, aut ſpes prædæ. Imperator exiſtimans ſuum filium ** maximum natu reducendum ex Hiſpania *** â fratre Carolo, (qui ejus rei præcipuè causâ dicitur tam longinquum & difficile iter ſuſcepiſſe) ſignificaverat Electoribus, ſe cupere cum ipſis colloqui ante Imperii conventum, & videbatur ei Egra aut Norimberga locus ad eam rem commodus. Miniſtri ejus hic non diſſimulant, eum cogitâſſe de aſtruendo Imperio filio. Sed ubi reſcivit, Hiſpanum noluiſſe dimittere ſuos Obſides, remiſſius eam rem

* *vid. ad Auguſt. Lib. 1. Ep. 46. p. 99.*
** *Rudolphum II.*
*** *Ubi educatus apud Avunculum, Philippum II.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [15] - 3

egit, desperans se posse impetrare, ut absentem & planè ignotum, & peregrinis moribus imbutum ad illud rerum culmen evehant. Ita jam incipit percipere fructus suorum perplexorum consiliorum, & quidem ab iis, in quorum gratiam dedit operam, ut se, amicos & patriam præcipitaret in exitium: nam in hoc posteritatis ejus salus & amplitudo consistere videbatur, ut filius successor in Imperio designaretur ipsi valetudinario, & (ut fertur) recens tentato apoplexiâ. De misera nostra Gallia quid aliud scribam, quam eam planè periisse? Bipontini exercitus flagitans stipendia aliquamdiu tumultuatus est in Comitatu Burgundiæ ad oppidum Gre (* quod est ad Ararim) & ne interea feriaretur, Dolam usque & Vesontionem prædas egit, & quandocunque incidit in prædia Granvellanorum, ea ferro & flammâ devastavit. Corrasam hinc inde pecuniolam cum Bipontinus inter suos milites distribuisset, tandem persuasit ipsis, ut Ararim trajicerent, quod est ab ipsis factum alacriter, Aumaliô, qui in altera ripa cum regio exercitu excubabat, ut eos à transitu arceret, non ausо cum ipsis confligere. Superato Arari secundum dextram ejus ripam per Lingones & Heduos, hoc est, per miseram nostram Burgundiam, fecerunt iter Lugdunum versus, insistente semper ipsorum vestigiis Aumalio, & postremum agmen lacessente. Nona hujus mensis progressi erant ultra Matisconem (quæ est unius dieiitinere cis Lugdunum) & videbantur perituri ea loca, in quibus Ligeris vado trajici potest. Scribitur Navarrum venisse cum exercitu in Bituriges, ut se cum eis conjungeret. Habet validissimum peditatum; nam à morte Condæi conjunxerunt se ei Vascones, qui per hyemem agrum Tholosatem ferro & flamma devastârunt. Fuerunt autem non pauciores octo millibus peditum, & mille ac quingentis equitibus. Ubi Navarri & Bipontini exercitus se conjunxerint, & ab altera parte Andegavensis & Aumalii, si conseruerint manus, plane concident vires Galliæ, quocunque inclinet victoria: Nam existimo, in nostrorum exercitu fore pene ad quinquaginta millia peditum, & ad quindecim millia equitum, & tamen existimo, eos à regiis superari numero militum, & præsertim equitum,

* *Ad August. Lib. I. Ep. 45. p. 96.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [16] - 4

quitum. Sed credo regios non facilè unius pugnæ discrimini summam rerum commissuros, & cum videant, jam ferè maturis segetibus fore difficile, adversarios ducendo bellum conficere, inibunt fortè rationem, quâ possit patria ab interitu liberari: Quod meo judicio non esset difficile, nisi unicus Cardinalis Lotharingus obsisteret, qui quamdiu summæ rerum præerit in aula, non video, quænam pax iniri queat, cui nostri fidere possint. Ajunt tamen, Lotharingiæ Ducem se se interponere, & summo studio id agere, ne confligant exercitus. Sed hæc sunt in solius Dei potestate, qui cum vult, ferrea hominum corda potest reddere carnea, cui nondum videmur satis graves pœnas pro nostris peccatis dedisse; sed forte miserebitur innocentiæ Regis, cui qui malorum istorum causam adscribunt, faciunt injustè. Cum hæc scriberem, mihi significatum est, Bipontinum trajecisse Ligerim, & partem exercitus Navarri se ei conjunxisse in agro Borbonio, Aumalium verò retrocessisse. Ajunt eos, qui sunt nostræ religionis, occupasse in valle Angroniæ arcem munitam quæ adest quinque millibus passuum ab oppido Susa, & jam conscribi Mediolani militem ad eos opprimendos. Si jam res componerentur in Gallia, non facilè ab armis discederent tot millia hominum; quod si ea nubes effunderet se in Italiam, unde hæc mala ducunt originem, tunc demum Germaniam & Galliam salvas judicarem; * nam quamdiu Italis tantum erit ocii à suis rebus, nostra ut curare possint, facilè semper sua pecunia & suis artibus quietem nostram turbabunt. Quæ hic dicuntur de utroque regio exercitu cæso, & multis aliis rebus, quæ nostris feliciter contigerunt, ideò non scribo, quia non judico esse vera, & video me jam plus satis ineptiarum congessisse; sed fortè non indignus excusatione videbor, quod studiô obsequendi tibi id à me sit factum. Ego tibi & toti Illustri Tuæ familiæ omnia fausta & felicia precor. Francofurti tert. Cal. Jun. 1569.

Tuæ Illustri Celsitudinis
observantissimus

Hubertus Languetus.

* *Ad August. Ep. 46. p. 99.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 14, [17] - 5

EPISTOLA II.

Post exhortationem ad Ecclesiam & Rempublicam strenuè curandam Cæsarem Belgis pacem procurare significat, ad quam firmandam consultum fore putat, ut conditionibus inseratur de arcibus demoliendis.

ILlustris & Generose Domine, Comes Ludovicus Nassovius fœlicis memoriæ dixit mihi Francofurti ante viginti menses, se & aliquot alios præstantes Viros id agere, ut Te ad Illustrissimum Electorem Palatinum * perttraherent, quo *sanctissimum illum* senem solum fere ex Principibus hoc nostro tempore pro ecclesia Dei excubantem sublevares parte aliqua laborum, quos immensos sustinet, ac tua prudentia & animi moderatione pacem & tranquillitatem iis, quos Deus ejus curæ commisit, procurares & præcaveres, eorum insidias, quorum oculos lucis Evangelicæ istic excitatæ fulgor perstringit. Quamvis non ignorarem, te nusquam non futurum magno usui reipublicæ, gaudebam tamen, te in latiorem campum perduci, ut tua virtus & industria, & ingenii tui omnibus bonis artibus exculti acumen se magis exerere, ac ecclesiæ Dei & reipublicæ uberiores fructus producere possent. Vehementer quidem optabam, ut id eveniret, cujus mihi spem faciebat Comes Ludovicus: sed jam gaudeo eventum meis votis respondisse: & licet non dubitem tibi perferendos esse labores maximos, & plurimas molestias devorandas spero tamen, quod hæc omnia tibi leviora reddet utilitas, quam inde ad rempublicam provenire videbis. Porro tot jam machinis oppugnatur ecclesia Dei, suntque tam pauci ejus propugnatores, ut existimem, eos qui aliquid possunt ad ejus defensionem adferre, nec labores nec pericula honeste defugere posse, quandocunque vident, suam operam utilem aut necessariam fore. Videmus quantum bellorum civilium incendium Pontifex Romanus & ejus ministeri in orbe Christiano

* *Fridericum III.*

stiano excitaverint, & quam sedulo dent operam, ne illud restinguatur, quantoque studio conentur opprimere in Gallia & Inferiore Germania exiguas & miseras illas reliquias tot fortium Virorum, quibus licet non desit animus nec constantia in periculis, adversariorum tamen multitudine paulatim conficiuntur & absumuntur, Germanis & Anglis sese ociosos spectatores tanquam in re ludicra præbentibus: qui utinam tandem ex alto illo somno excitentur, & ad se paulo post ventura pericula cernant. Ego sanè spero, plus nobis profuturos Turcas, quàm eos, qui religione & aliis humanæ societatis vinculis sunt nobis conjuncti, & Deum usurum eorum opera in castigandis ii, qui malorum tantorum nobis sunt authores: quod si me vivô contingat, non facilè quis mihi persuadebit, ut valde doleam. Quoniam Imperator videt, in Belgio res non succedere Hispanis ex animi sententia, in id diligenter incumbit, ut bellum ibi excitatum componatur: quod quidem esset optandum, modò non ineatur pax, quæ sit ipso bello deterior; nam, (ut inquit ille) *metuo Danaos & dona ferentes*, quandocumque considero, quoties nostra ætate, Principes suis fraudibus dulce illud nomen pacis prætexuerint. Mihi non videretur inconsulte facere, si conditionibus pacis, quas Hispanis proponet, insereret, ut diruantur arces quæ recens in aliquot primariis urbibus inferioris Germaniæ sunt extructæ: * nam petitio esset popularis, & ea re magnam gratiam iniret apud Antverpienses, Gandavenses & Trajectenses, etiamsi id non obtineretur. Ejusmodi arces nihil aliud sunt quam tyrannidis instrumenta, seu nidi Tyrannorum, ut dicebat Timoleon; nec ad defensionem, sed ad oppressionem populi extrui solent. Etiamsi Hispani ex illis provinciis ejicerentur, nunquam tamen deerunt aliqui ex nobilitate Belgica, quos pecuniâ & aliis præmiis sibi consiliare possint, qui sint ipsorum tyrannidis administri, quibus illæ arces semper erunt adjumento, quoniam urbes, in quibus sunt extructæ, semper erunt in eorum potestate. Illarum autem urbium opibus præcipue oporteret Belgas suam libertatem tueri, si eam recuperaverint. Sunt in hac re nobis exemplo Neapolis & Mediolanum, in quibus urbibus Hispani perpetuò suas arces muniunt, de aliis illarum provinciarum munitionibus non admodum solliciti.

Etiamsi

* *vid. Grot. Annal. Belgic. L. II. p. 44. Thuan. L. LXIV. ad A. 1577.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [19] - 7

Etiamsi aliis parceretur, urgendum certè esset, ut *Antverpiensis* diruatur, cum sit tanquam tropheum conculcatæ libertatis ab Albano insoleſcente erectum, &, ut ipsi loquuntur, seditionis & rebellionis monumentum. Quotiescunque in his bellis civilibus nostri in Gallia cum Rege transegerunt, insertum est conditionibus pacis, ut præteritorum bellorum memoria aboleretur, & monumenta omnia delerentur. Huc accedit, quod quamdiu stabit illa arx, impossibile erit, ut emporium Antverpiense suo pristino splendori restituatur: nam mercatores edocti damnis, quæ superiore ætate ab Hispanis acceperunt, non facile suas opes eò transferent. Tu pro tua prudentia judicabis, an Auraicus Princeps sit de ea re monendus.

Commendo tibi Dominum Georgium d' Averly, virum nobilem & multarum rerum peritum, qui has meas literas tibi reddet. Intelliges ex eo, quis sit hic rerum status, & quid geratur in Polonia, unde recens est reversus. Proficiscitur istuc, ut negocia procuret Heroinæ Borboniæ, quæ apud vos exulat. Ego omnia fausta & fœlicia tibi precor. Viennæ pridie Calend. Decemb. 1574.

Tuæ Celsitudinis observantissimus

Hubertus Languetus.

EPISTOLA III.

Commendat Sydnæum, Anglum. De Comitiis Pragensibus, & adventu Legati Turcicis nonnulla commemorat.

ILlustris & generose Domine, dedi has ad Te literas generoso Domino Philippo Sydnæo, Anglo, ut ex iis haberet occasionem salutandi Te, & tibi sua officia deferendi. Id eo libentius feci, quia spero tibi non fore ingratum hoc meum factum, ubi tibi innotuerit. Nam variarum rerum cognitione ingenium ita excoluit, ut ferè non dubitem, quin sis judicaturus, eum supra ætatem sapere: Natus est patre,

patre, qui ante aliquot annos missus in Hyberniam cum Imperio, eam rebellantem domuit. Sed postquam inde excessit, denuò sunt ibi excitati tumultus artibus Hispanorum, & imperitia eorum, qui in præfectura successerunt. Mater est Soror Comitis Warvicensis, & Roberti Comitis Leceſtriæ, qui cum careant liberis, hunc habent, quem ut filium complectantur & ornent, cum videatur futurus eorum hæres.

Splendorem quidem natalium, & ea quæ fortunæ bona nominamus, puto esse partem fœlicitatis, quam homines in hac vita consequi possunt: Sed profecto in hoc adolescente longè magis admiror ingenii vim & indolem, quæ non solum ostendit flores, qui virtutis spem nobis faciant; Sed jam protulit fructus, qui fortè tibi videbuntur non immaturi. Imperator fatigatus Bohemorum precibus, suam adamatam Austriam tandem deseruit, & huc venit. Vereor ne ejus adventus non sit futurus tàm gratus Bohemis, quàm plerique speraverunt: Nam statim ubi factum est initium conventus, petiit ab ordinibus regni magnam vim pecuniæ, ad numeranda stipendia militi, qui ad fines Turcicos excubat, & ad dissolvendum æs alienum, quod pater Ferdinandus reliquit. Bohemi responderunt, se experiviſſe ejus adventum, ut mederetur malis, cum quibus hoc regnum conflictatur, quod videtur minari ruinam, nisi salubre aliquod remedium mature adhibeatur, & propterea se mirari, talia ab Ipso proponi, seque judicare, ejusmodi consilia proficiscì ab hominibus peregrinis, qui de regni salute sint parum solliciti, & non ab ipsius Majestate, cum præsertim in postremo conventu non solum verbo, sed etiam syngrapha sua manu scripta promiserit, in proximo conventu primam fore deliberationem de gravaminibus regni, quæ tunc quidem ipsi fuerunt proposita, sed dixit se non potuisse ea discutere, eò quod ob necessaria quædam negotia sibi esset in Austriam properandum: Propterea se petere ab eô, ut sit memor eorum, quæ promisit, & ut id ignoscat libertati, quam in eo monendo usurpent, ad quos eos cura salutis patriæ adigat. Imperator respondit, se esse memorem promissorum, & velle præstare, quicquid promisit, nec se offendi eorum libertate: Sed petere, ut etiam sint memores eo-

rum quæ ipsis proposuit. Jam de iis rebus deliberatur, & quantum ego conjicere possum, hic conventus in aliquot menses protrahetur.

Prima die hujus mensis Legatus Turcicus venit in hanc urbem, ubi exceptus est honorificè. Sexta die accessit ad Imperatorem sub horam quattam vespertinam, & tradidit ei literas, quas habuit à suo Domino, à Mahomete Bassa, & à Bassa Budensi. Tradidit ei volumen, quod postea vidi, in quoputo contineri conditiones insertas induciarum prorogationi. Erat volumen longum tres aut quatuor ulnas, & erat scriptum characteribus Arabicis. Dedit munera Imperatori nomine Mahometis Bassæ: Imperatrici verò, ejus liberis, & Domino Transhemio, aulæ præfecto, suo nomine.

Est natus Ratisbonæ Matre Viennensi; sed tamen est loquutus Imperatori linguâ Turcica, Transhemio verò Germanicâ. Est in eo dignitas formæ, & morum elegantia & gravitas. Habet secum quatuor, aut quinque alios Germanos. Quæ hìc habemus de induciis, & de mutatione facta in Imperio Turcico, commodius tibi indicabit Dominus Sydnæus, quàm à me scribi possint. Ego tibi omnia fausta & fœlicia precor. Pragæ duodec. die Martii 1575.

EPISTOLA IV.

De Candidatis regni Poloniæ; & Imperatoris Maximiliani II. gestis Dresdæ apud Electorem Saxon.

ILlustris & generose Domine, is qui mihi nuper literas tuas reddidit, dixit intra horam discessurum tabellarium, à quo eas acceperat, de quo mihi esset percontandum apud Doct. Cratonem. Id autem factum est sub horam decimam matutinam, quo tempore solet Crato adesse Imperatori prandenti. Accedebat & id incommodi, quod Crato habitat ad arcem, ego verò in veteri urbe, quæ loca longo spatio inter se dissita esse sciunt ii, quibus hujus urbis amplitudo non est ignota. Hæc ideò scribo, ut intelligas, tunc defuisse mihi tempus ad scribendum, non voluntatem. Ante duos menses

menſes dedi ad te literas Philippo Sydnæo, Anglo, illuſtri quidem loco nato: Sed qui mihi viſus eſt animi ac ingenii nobilitate natalium ſplendorem ſuperare. Cupiebam itaque eum tibi innoteſcere: Verum conjicio ex tuis literis, illas meas non eſſe tibi redditas, cum tantum facias mentionem earum, quas Averlio ad Te dedi. In Comitiis Polonicis factum eſt decretum de Interregno viceſima prima die ſuperioris menſis, quæ res hos noſtros tanta ſpe implevit, ut Helenam illam ſibi certo deſponderent. Qui res eorum procurant, ſcripſerant, Polonos conſtituiſſe Imperatorem eligere, ita tamen ut eſſent ſuſcepturi vicarium in procuratione regni filium ejus Erneſtum, quo poſſent ejus ingenium & induſtriam explorare, & inde facere indicium an deſignandus eſſet ſucceſſor parenti. Credo ſanè plurimos in Comitiis fuiſſe ita affectos. Facto decreto de Interregno progreſſi ſunt ad Comitia Legati Imperatoris, qui ſubſtiterant non procul à finibus regni Polonici. Eo autem munere funguntur Epiſcopus Wratislavienſis & Marſchallus Moraviæ. Conſtitutum erat in Senatu Polonico, ut decretum de Interregno viceſima tertia die ſuperioris menſis publicaretur: ſed ea die redditæ ſunt Senatui literæ à Pibraco, quibus ſignificabat adventum ſuum cum regiis mandatis, & petebat ut calamitatis, in quam in itinere incidit, rationem haberent, nec quicquam de re tanti momenti decernerent, antequam ipſis regia mandata exponeret. Videtur autem ſuis literis perfeciſſe Pibracus, ne decretum de Interregno publicaretur: quæ res noſtras ſpes hic labefactavit, aut ſaltem longè languidiores reddidit quam antea. Quis ſit futurus eventus Comitiorum, nondum poſſumus certò conjicere: ſed hauddubie Poloni proponent auctioni ſuum regnum, & dabunt operam ut illud quam maximo vendant. Nam omnes ingenii nervos eò intendunt plerique, ut regni Candidatos pecunia emungant. Qui regnum ambiunt, ſunt Auſtriacus, Moſchus, Suecus, Tranſſylvanus, Ferrarienſis, & aliquod Proceres Polonici, quos ſuo more Piaſtos nominant. Suecus & Tranſſylvanus nituntur commendatione Turcici Imperatoris, qui monuit Polonos, ne quem ſibi præficiant, cum quo non poſſit fœdus inire, aut amicitiam colere: quibus verbis putatur de-

signare Austriacum & Moschum. Ferrariensis ambit pecunia: nam dicitur uni Koskovicio præfecto Samogitiæ promisisse sexaginta millia coronatorum, si ejus opera regnum adipiscatur. Præterea simulat se deperire vetulam illam virginem in schola Bonæ matris educatam, * ad quam sæpius scribit amatorias literas ineptiarum plenas, quibus conatur ei persuadere, se fore fortem maritum, si contingat eos conjungi. Credo ipsum ideò hoc facere, quia non ignorat, plerosque de ipso longe aliter sentire. Hac fecit iter ante decem dies Pibracus, qui haud dubie jam ad locum Comitiorum pervenit. Si Rex miserit in Poloniam bis centena millia coronatorum (quod affirmant Galli eum facere) non facile regnum ei eripient, qui illud ambiunt. Sed unde tantum pecuniæ in hac summa egestate? Quid actum sit Dresdæ ab Imperatore, ego plane ignoro: nemo enim inde ad me scribit. Scio ex iis, qui sequuti sunt Imperatorem, totum fere tempus tributum spectaculis & hilaritati, & Imperatorem semel atque iterum tantum loquutum esse cum Electore semotis arbitris. Quæ de contrahenda inter ipsos affinitate vulgò sunt jactata, puto esse conficta, & Imperatorem præcipue egisse de filio sibi designando successore in Imperio: nam hic certò nobis promittimus proximo autumno indicendum Electorum conventum, in quo id perficiatur; sed hæc sunt vobis notissima. Bene valeâ, Pragæ die Juni 1575.

Tuæ Celsitudinis observantissimus
Hubertus Languetus.

EPISTOLA V.

Dissuadet, ne quid Amberga per vim contra Lutheranos agatur. Ob Pekesy turbas in Transsylvaniâ excitatas metus belli Turcici. De rebus Bohemicis.

Illustris & generose Domine, fui Ambergæ paulo antequam eò nuper veniretis. Reperi ibi Josum Lagum, cum quo Wittebergæ ante viginti annos contraxi amicitiam. Is sive suspicaretur, sive præmonitus esset, venturos eo, qui id tentarent, quod postea tentatis, interrogavit me, quid de ea re sentirem? Respondi in eo esse peccatum,

* *Annam Jagellonicam, annos 60. natam, Sigismundi. R. P. Sororem Herbenstein Reb. Polon. p. 92. Ad August. Part. II. Ep. 40.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [24] - 12

tum, quod ante plures annos id non sit factum: Sed hoc rerum statu aliquid innovare velle, mihi videri inconsultum: nam etiamsi sciam, magistratum esse à Deo constitutum custodem utriusque tabulæ, puto tamen non tantum ipsi deliberandum esse, quid sit faciendum, sed etiam quid fieri possit; ut omittam quæstionem, an liceat hominum conscientiis vim adferre: eos enim vim adferre conscientiis judico, qui eis adimunt ministerium ejus religionis, quam credunt esse veram. Videmus multos intempestivè monendo ea, quæ per se erant honesta, se & multos bonos viros in maximas difficultates conjecisse. Considerabam Illustrissimi principis Electoris ætatem ingravescere, filii * autem esse florentem: qui haud dubiè est charissimus Ambergensibus, cum bonam ætatis partem apud eos transegerit, & idem, quod ipsi, in religione sentiat: & (ut dicebat Pompejus) *plures orientem quam occidentem solem adorent.* Itaque non poteram sperare, homines istos facile discessuros à sententia principis, qui eis quotidiè observatur, & ad quem suæ urbis Imperium tandem sperent perventurum. Ut ingenuè dicam quod sentio, sæpe sum miratus, Illustrissimum Electorem non adhibuisse maturius huic rei remedium: nam res forte potuissent tempore coalescere, si præsertim à civium oculis abductus fuisset Illustriss. Dux Ludovicus, qui etiam potuisset reddi æquior nostræ causæ. Ii, qui nostram religionem amplectuntur, habuerunt hactenus Ambergæ suos conventus, & suos verbi Ministros: quare nemo potest accusare Illustrissimum Electorem prætermissi officii in procuranda salute populi sibi à Deo commissi. Cum primum audivimus hic, quid Ambergæ accidisset, metuebamus ne quid gravius accideret. Fortè etiam non deerant, qui cuperent res magis perturbari. Ejus rei fama jam utcunque hic conticuit: quamvis non desint qui dicant, Illustrissimum Electorem constituisse illum sui contemptum ulcisci, & severè animadvertere in authores injuriæ, quæ vobis est facta, & civium contumaciam impositio in oppidum militari præsidio domare. An constituerit id facere Illustrissimus Elector nescio, sed si constituit, cuperem non fieri ante conventum Ratisbonensem. Hæc scripsi

* *Ludovic. Conf. Henr. Altingii Histor. Ecclesiast. Palatin. in Monumentis Virorum Illustr. superiore Anno à Dn. D. Migio Theologo Marburg. editis. Part. I. p.* 217. *seqq.*

satis memor proverbii: *Sus Minervam;* sed non metui, ne à te habear ineptus, modò obsequerer tibi jubenti, ut meam sententiam proferrem. Ideò autem feci mentionem colloquii mei cum Josua Lago, ut intelligeres, ea quæ postea acciderunt, me non induxisse in illam sententiam. Jam haud dubiè audivistis Bekessium, qui profugus ex Transsylvania fere biennium hic vixit, collectis clam copiis superiore mense irrupisse in Transsylvaniam. * Visa est fortuna initi ô cœptis arridere, nam aliquot oppida redegit insuam testatem. Jam autem audivimus, ejus copias cæsas esse à Transsylvano, ipsum verò evasisse, & se fugâ Cassoniam recepisse. Parum esset, cæsum Bekessium: verum hoc est miserrimum, quod facinus ab eo perpetratum Turcæ nobis adscribunt, &, ex variis locis irrumpunt in ditionem Imperatoris & Archiducis Caroli, jamque aliquot arces occupârunt, & alias obsident. Metuendum itaque est, ne homo ferè nihili grave nobis bellum conflaverit. Hæc valdè perturbant Imperatorem, qui nondum planè se collegit ex morbo, qui eum superioribus diebus graviter exercuit. Jussit conscribi equitem & peditem ad tuendos suos fines, sed non magno numero. De rebus Bohemicis nescio quid scribam. ** Jam hic totos quinque menses hæremus, nec tamen adhuc quicquam decretum est, quod magni momenti esse videatur. Causæ religionis acrius agitatur, quam existimaverit Imperator, nec volunt Bohemi de rebus, quæ ad ipsum pertinent, deliberare, antequam suam sententiam eis aperuerit de fidei confessione, quam mense Majo ipsi exhibuerunt. Superioribus diebus propositum est hic edictum, quô Imperator mandat Bohemis, ut frequentes huc conveniant ad 15. diem proximi mensis, quoniam inter cætera constituit cum ipsis agere de futuro rege Bohemiæ. Non erit facilis de ea re deliberatio, cum Imperator dicat Bohemiæ regnum ad suos Liberos jure hæreditario pertinere, Bohemi verò id negent. Bene vale. Pragæ 29. die Julii 1575.

Tuæ Illustris Celsitudinis observantissimus
Hubertus Languetus.

EPI-

* *Ad August. Part. II. Ep. 43. p. 106.*
** *Ad Augustum Part. II. Ep. 51. 52. seqq.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [26] - 14

EPISTOLA VI.

Scribit de rebus Belgicis; imprimis de discessione à fœdere Gandavensi.

QUoniam ex variis locis huc homines confluunt, existimat Illustris tuus frater, nos quædum de rebus publicis interdum hic habere, quæ istuc vel nunquam vel tardius perferantur. Nuper autem mihi dixit, me facturum tibi rem non ingratam, si ad te scriberem ea, quæ jam audimus à mercatoribus, qui ex Belgio & ex Anglia Francofurtum contendentes hàc iter faciunt, meque hortatus est, ut scriberem. Libenter sum ei obsequutus, &, si scirem, non ingratos tibi fore meas literas, forte sæpius scriberem. Jam sum iturus Antwerpiam, ubi aliquamdiu consistam, ut ex propinquo sim spectator infelicium turbarum, quibus ita concutiuntur illæ provinciæ, ut metuendum sit, ne in exitum præcipitentur. Hispani tandem id perfecerunt, quod tamdiu sunt moliti: Belgas enim, qui antea conjunctis viribus & consiliis libertatem suam adversus ipsos defendebant, ita jam inter se commiserunt, ut mutuis vulneribus se conficientes, sint posthac ipsos cum voluptate spectaturi. Provinciæ, quæ lingua Gallica utuntur, discesserunt à Gandavensi seu communi illo fœdere omnium provinciarum,* & aliud fœdus cum Hispanis iniverunt, cui maxima pars nobilitatis se se adjunxit. ** Hinc suæ discessioni prætexerunt mutationem religionis, quam dicunt à nostris esse factam, contra pacta & conventiones, quas se observaturos promiserant. Promittunt autem regi Hispaniæ, se suscepturos bellum adversus eos, qui religionem mutaverint, nec disposituros arma, antequam eos ad Regis & ecclesiæ Romanæ obedientiam reduxerint, modo Hispanicus miles ex illis provinciis discedat, & pecunia ad bellum à Rege suppeditetur. Ajunt Parmensem accepisse conditionem, & promisisse se effecturum, ut Rex ea præstet

* *Anno MDLXX. confecto, Thuan. L. 62.*

** *Ad August. Part. II. Ep. 169. Conf. Meteran. L. 9.*

præstet, quæ isti petunt; verum Hispanicus miles debita sibi stipendia flagitat, & negat se discessurum antequam ea acceperit, & quia non solvuntur toto Julio & Augusto est ociatus, nec potuit à Parmensi persuaderi, ut quicquam aggrederetur. Quoniam autem jam præteriit tempus, intra quod Parmensis promiserat Hispanos discessuros, Proceres Belgici suspicantur, sibi ab eo data esse verba, &, eum id tantum egisse, ut eos ab Auraico & reliquis sejungeret; & quia non ignorant quam graviter Regem offenderint, eis ob oculos perpetuò versatur ejus severitas in Egmondanum & Hornensem, quod ne quidem dissimulant in conviviis & aliis locis, ubi conveniunt. Atrebatum urbes tumultuantur, & dicunt, sibi data esse verba à sua nobilitate, quæ promisit Hispanos discessuros, nec volunt pecuniam ad bellum conferre. Assonvilius Regis consiliarius, qui huc missus fuerat à Parmensi, ut Duci Terranvuano adesset, profectus est eò, ut rationem ineat, quæ turbæ istæ componi possint. Idem etiam factum esse dicunt à Petro Ernesto Comite Mansfeldensi, qui inde iturus est ad montes Hannoniæ, quò indictus est conventus eorum, qui pacta inierunt cum Hispanis, qui apertè profitentur, se iis non teneri, cum Hispanis constitutum tempus ad discessum præterierit, nec tamen ipsi discedant. Non esset fortè difficile Auraico, plerosque ad se retrahere, si in eam rem animum intenderet; sed ipsi non esse ingratum credo, eos à se abesse, cum ejus rebus plus impedimenti antea quàm adjumenti attulerint. Sunt qui dicant, Comitem Mansfeldensem habere mandatum à Parmensi, ut dicat, factum esse penuria pecuniæ, ne Hispani hactenus discesserint, sed jam curatam esse pecuniam, quæ Francofurto ad ipsum Parmensem mittetur, quam ubi acceperit, statim Hispanis debita stipendia numerabit, & eos in Italiam mittet. Hispanorum & aliorum militum contumacia videtur pulchram rei benè gerendæ occasionem Parmensi eripuisse: nam post expugnationem Trajecti ita erant consternatæ vicinæ urbes, ut viderentur ad deditionem faciendam potuisse compelli, si tantum ipsis copias admovisset. Princeps Auraicus profectus Antwerpiâ Gandavum res illius urbis perturbatissimas composuit. Embizius istarum turbarum præcipuus auhor, & alii, qui cum eo sentiebant, conati sunt impedire, ne princeps in urbem reciperetur, sed cum viderent

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [28] - 16

rent se id perficere non posse, subduxerunt se ex urbe: Verum aliquot equites eos insequuti Embizium in urbem reduxerunt, Dathenus vero & alii evaserunt, & huc pervenerunt. Embizius, ut ajunt, factus est supplex Principi, & se abdicavit magistratu, quem gerebat. Ei suffectus est Carolus Utenhovius, quem puto esse patruelem Caroli Utenhovii poetæ. Princeps dicitur Gandavo profecturus Brugas. Antwerpiæ omnia sunt parata. Ii, qui confessionis Augustanæ religionem profitentur, dicebantur probare conditiones pacis, hìc ab Imperatoris Commissariis cusas, quam rem ad suam infamiam pertinere existimantes, obtulerunt Archiduci Matthiæ, Auracio principi & reliquis Magistratibus scriptum quô testati sunt, sibi fieri injuriam ab iis, qui talia de ipsis dicerent; se enim minimè probare ejusmodi pacis, conditiones, & maxime cupere, ne eas Magistratus recipiat, seque semper paratos fore ad impendendam vitam & fortunas in publicæ libertatis defensionem * Scriptum illud postea typis ediderunt. Montdragonus miles magni nominis, post expugnationem Trajecti missus in Hispaniam à Parmensi, dicitur in itinere periisse. Dux Sabaudiæ venit Gratianopolim, ad reginam matrem regis Galliæ. Dicunt, ab ipso agi de conjugio filii ipsius Ducis, & filiæ Ducis Lotharingiæ, cui regina dat in dotem prædia, quorum annui reditus sint quinquaginta millia francorum. Agit etiam Sabaudiæ Dux de reconciliando Regi Mareschallo Bellegvardæo, qui pulso Biraga præfecto regio Salinarum seu Saluci Marchionatum occupavit, ibique religionem mutavit, ut mihi dixit præfectus Auraici principatus, qui recens hac iter fecit. Dux Alenconii, Regis Galliæ frater, tandem profectus est in Angliam. Qui veniunt ex Anglia, narrant eum venisse Londinum duodecimo die hujus mensis. Ego tibi & Illustri tuæ familiæ omnia fausta & fœlicia precor. Coloniæ ultimo die Augusti 1579.

Tuæ Celsitudinis observantissimus

Hubertus Languetus.

* *Meteran. L. 9.*

EPISTOLA VII.

Responsoria ad præcedentem.

EX quo Langueti nomen audivi celebrari, & sui aliquam notitiam habui, semper te feci maximi, ut quem intelligerem summis nostrâ ætate viris placere, ac Melanchthoni olim etiam familiarem fuisse. Non ergo dubitare debes, quin & tu mihi charus, & literæ tuæ sint quam gratissimæ. Quæsivissem pridem ad te scribendi occasiones, si de tuis sedibus certior fuissem; etsi de me non debes ea expectare, quæ te vehementer queant afficere, cùm vitam modò privatam, eamque in loco penè deserto transignam; Tu verò longo usu, multâque rerum cognitione instructus, quique in orbis fere theatro versaris, abundare debes iis rebus, quarum notitia per se jucunda est. Age præstantissime Languete, si me amas, fac, quod in literis polliceris, & scribe sæpius. Nullum mihi gratius officium præstare poteris; maximè cum in Belgium ire constitueris, cujus jam is est status ut de eo vix rectè judicare queant, nisi qui in propinquo sunt, iique benè oculati. Varia sunt hominum judicia, pro affectuum diversitate, & qui conjunctissimi esse debebant (quod valdè deplorandum) sæpè non idem sentiunt. In hac confusione optatissimus mihi fuerit tuum habere judicium, cui ergo plurimum tribuo. Intelligis, quid velim, ut non opus sit ad individua progredi. Aliorum enim existimationi libenter parco. Ego etsi paria referre non possum, dabo tamen operam, ut intelligas, me tui studiosissimum, atque in eorum esse numero, qui de te bene mereri cupiunt. Rogo etiam, ut viam ostendas, quâ literas ad te mittere, tuasque recipere possim. De Aldegundi Vitâ dubitari audio; hujus occasum Auriaco gravem, reipublicæ detrimentosum fere existimo. Vale B. die 23. Sept. 1579.

JOACHI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [30] - 18

EPISTOLA IIX.

JOACHIMI CAMERARII
Epistolæ nonnullæ.

S. D. generose Domine, & inclite Comes. Literas generosæ Clementiæ suæ tabellarius huc missus mihi reddidit scriptas perquam clementer, & humanissimâ benignitate plenas, cum mea sanè valetudo admodum esset afflicta, recrudescente, ut solet, malo quodam meo nephritico, ex eorum genere, quæ in senibus sunt ferè ejusmodi, ut non curari, & commori, secundum Hippocratem soleant. Ago gratias tuæ Clementiæ submissè, cum illa tàm clementer retinet animô suo memoriam mei. Atque ego jam pridem studui declarari submissæ erga generosam clementiam tuam observantiæ meæ studium, compellatione ad illam perscriptâ, quæ præponeretur ante Libros Aristotelis Ethicos à me interpretando & explicando enarratos; Sed cùm Basileam scriptum meum misissem, ibi illud delituit neglectum toto triennio, quod vix tandem recuperavi, utque edatur, alia scilicet via quærenda est, non mutatâ illa Compellatione, cum tuæ generosæ Clementiæ, quemadmodum mihi persuadeo, benignâ voluntate. De quibus autem generosa Tua Clementia certior fieri nunc cupit, quomodo res sese habeant breviter indicabo. Eo loco, ubi nomen Portæ Duringicæ, ab Illustrissimo Principe Mauritio ludus est institutus, in quo pueri harum regionum bonas litteras & artes discerent sexennio. Id quod adhuc servatur; neque mihi quidquam mandatum est, quam respectus quidam ad illam, &, si quando hæc jubetur, inspectio. Quod tamen per valetudinem jam officium præstari à me non potest. Apud nos Doctores quidem Juris sunt complures, sed assiduitas docendi impeditur aliis negotiis, quæ illis sunt exequenda. Sunt & Wittenbergæ res, ut mihi videtur, satis benè constitutæ; Jenæ autem instauratur Academia, & speratur futurum, ut omnibus ex partibus extet illa deinceps oportuna optimarum disciplinarum & artium

ſtudioſis. Cætera ferè in his regionibus ſunt vetere loco, ſi non optimæ, at in comparatione tolerabiles. Hic dicebatur, Cl. V. D. Otomannum Marpurgam acceſſitum Juris doctrinam profiteri. Quem ego ad docendum imprimis idoneum judico, & allecturum eſſe exiſtimo auditores undique. Marcum, cujus tua generoſa Clementia operâ utitur, juſſi admoneri à filio meo verbis meis, quem diligenter ad generoſam Clementiam tuam de omnibus eſſe perſcripturum confido, Libellum quendam hîc repertum viſum eſt tuæ Generoſæ Clem. mittere, quod illa boni conſultat, oro. Tua generoſa Clementia bene valeat. Lipſiæ D: XXI. menſis Junii.

Tuæ generoſæ Clementiæ

ſubmiſſè addictus

Joachimus Camerarius.

EPISTOLA IX.

S. D. Generoſe & Inclite Comes ac Domine colendiſſime.

ABs tua generosâ Clementiâ mandatam ſalutem dixit mihi his diebus D. Hermannus, unus ex Domeſticis tuis, cum ſingularis clementiæ erga me tuæ mentione. Quô nomine Inclytæ Clementiæ tuæ gratias ſubmiſſione eâ, quâ par eſt, ago cumulanti declaratam aliquando mihi coràm clementiſſ. animi & generoſiſſ. humanitatis affectionem. Fuit colloquium quoque cum D. Hermanno mihi perjucundum. Etſi de iis etiam rebus ſermones habiti fuerunt, quarum conſideratio non poſſet non maximæ ſollicitudinis cauſam dare. Deque iis varii rumores hic ſpargebantur, unaqua-

quaque scilicet ea dissipante, quæ ipse accidere vellet. Sed omninò negotium gravissimum geri videtur, cujus exitum humanæ solertiæ acies prospicere non potest. Verum de his ad tuam præsertim Inclitam Clementiam scribentem me quasi disputare non decet. Quod igitur restat, DEUM æternum precor, ut in irâ suâ recordatus misericordiæ nos benignis oculis respiciat, & tueatur Ecclesiam filii ipsius, Domini nostri Jesu Christi, & tuam generosam Excelsitatem salvam atque incolumem conservet. Bene valo generose & inclite Comes. Lips. IIII. die M. Januarii MDLXIIX.

T. generosæ Clem.

addictiss.

Joachimus Camerarius.

EPISTOLA X.

LUDOVICUS C. in W.

Salutem Domino

Joachimo Camerario.

SÆpe in animo habui amicitiam illam per literas renovare, quæ An. 1566. Lipsiæ inter nos inita est, cùm ad Principem Augustum proficiscens illac iter facerem. Sed nescio quomodo factum

ctum sit, dum vel occasionem vel nuncium oportunum expecto, tot anni abierint, ut jam culpam deprecari, quàm excusatione purgare satius sit. Meministi credo, qui de Belgicis motibus tàm primum nascentibus inter nos sermones habiti, undè graves sunt & calamitosæ exindè mutationes secutæ, quarum necdum finis ullus, aut securitatis portus miseris adparet. Atque perpetuo eô rerum successu ferocior factus hostis, tùm ob simultates atque effœminatam nostrorum mollitiem majores videtur animos sumsisse, quàm ut de consueta crudelitate quidquam paratus sit remittere. Et quidem Albanus quam de nostris æstimationem habeat, haud obscurè præ se ferre, atque etiam scommate quodam jactasse fertur, cum *horribiles*, inquit *Germani sunt aspectu lupi, sed edentuli.* Nimirum eò res rediit, atque hi fructus concertationum, qui religionis prætextu aluntur, ut jam ludibrio habeantur, qui terrori esse solebant. Accedit importuna Theologorum quorundam concertatio, qui sic religionis causam agunt, ut nullam tandem nobis relinquant. Et nescio cujus tandem sit imprudentiæ (ne quid gravius dicam) sic de parte aliquâ cum Sociis digladiari, ut universum interim Adversariis prodas. Quid verò de illa infœlici contentione Theologorum vestrorum vir quidam pius atque insigniter doctus sentiat, nec me pigebit adscribere, nec tibi, ut opinor, molestum erit cognoscere * Liberius hæc ad te scribo, humanitati ac benevolentiæ tuæ confidens; etsi non ignoro, severiores esse quorundam censura, quàm ut tutum sit ista attingere, de quibus sobrie admodum sententiam te dicere observavi Non possum tamen non cum omnibus bonis communem Ecclesiæ & patriæ calamitatem deplorare, quæ ferè ex eorum improbitate aut socordiâ nascitur, quos præcipuos Patronos ac Propagatores veritatis esse oportebat. Deo hìc commendate vale. Dat. B. Mense Martio MDLXXI.

* *Non repertum hoc fuit in schedis, undè hæc depromta.*

EPI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [34] - 22

EPISTOLA XI.

S. D. Generoſe & Nobilis Comes, Domine Colende.

EPiſtolam generoſæ Clementiæ tuæ ad me ſcriptam his diebus accepi, & graviſſimarum ſententiarum, & prudentiſſimi judicii, &, quod mihi jucundiſſimum fuit, Clementiſſimi favoris erga me tui plenam. Me autem fideliter cuſtodire memoriam animi demiſsè grati, clementiſſimæ humanitatis erga nos tuæ, nec non exiſtimationem de generosâ tua pietate virtuteque & ſtudio optimarum artium, cognoſci jam dudum potuiſſet, ſi id proceſſiſſet, ſicut cupiebamus, quod ſuperiore anno egimus ego & Philippus filius meus, quem veniſſe in notitiam generoſæ Clementiæ tuæ ex illius ſermonibus reſcivi & ſum lætatus.

Præpoſui enim hujus hortatu Proœmium Commentationibus quibusdam Ethicis ad tuam generoſam Clementiam compoſitum, quod legeretur ab aliis quoque illo libro edito; idque cùm meâ opinione, tùm affirmatione filii mei gratum acceptumque fore generoſæ virtuti tuæ habeo perſuaſum. Sed neſcio, quid impedimenti moræque illatum ſit editioni. Jam enim multis menſibus apud typographum Baſileæ noſtra deliteſcunt, cum quidem ſpes fiat nobis, brevi illa eſſe apparitura. De quibus autem tua generoſa Clementia ſcribit, ea renovarunt in animo meo triſtiſſimo cogitationes infelicitatis noſtræ, quæ eò eſt major, quò minus attenditur atque curatur ab iis, ad quos cùm præſentia damna tùm impendentia pericula imprimis pertinent. Ad rempublicam quidem, quod attinet, veſtrum ordinem, qui, illam capeſſit ac gerit, intelligere videreque oportet. Ego & mei ſimiles fruſtrà hac ſollicitudine afficimur, cum tamen bonos viros patriæ amor non patiatur eſſe animis ſecuris. Eccleſiæ vulnera, quæ indies penè recentia corpori illius infliguntur ab iis, qui laboranti opem ferre & afflictam ſublevare, & periclitantem conſervare debebant præ cæteris; hæc, inquam, conſiderantur à me diligentius, & ingenti dolore me afficiunt

unt cogitantem, quarum noſtri ipſi ſibi calamitatum autores ſint, quibus omnis fructus, qui copioſus in concordiâ & mutuâ benevolentiâ percipi poterat, intercipiatur.

Dimicant de ſuis opinionibus prætendentes ardorem quendam tuendæ doctrinæ cæleſtis homines plerumque indocti, omninò autem confidenter petulantes. Qui neque bonarum litterarum & artium ſtudia colunt, atque his etiam abtrectant, neque veterum ſcripta legunt, contenti novitiis rixarum altercationumque libellis, qui undique jam pridem catervatim evolant, & indulgendo cupiditatibus ſuis in hac vitæ licentia immodeſti ſunt, & odere diſciplinam.

Cujuscunque ſanè querela eſt inſerta literis generoſæ Clementiæ tuæ nimis ea juſta eſt, & de iis deploratur, quibus cauſſa jam non læditur, ſed prorſus amittitur. Quomodo enim inter iſtam diſceptationum & alienationum odiorumque acerbitatem obtineri illa poſſit? Sed, ut ubique ferè res ſeſe oſtendunt, ad me folia cadunt, & mox ſcilicet arbores cadent. Non libet de iſtis rebus, &, ut verum fatear, in maximâ animi perturbatione, ne poſſum quidem plura ſcribere, cùm undique tantum peccatorum occurat, ut ſi qui etiam corrigere vellent, eſſetque hoc penes ipſos, aggredientes illi negotium ſtatim horrerent, ſicut fabula narrat de eo, qui cepiſſet cribri foramina obſtruere, non reperiens, undè ordiretur, aut ubi deſineret. Fui ſuperiore anno in regionibus patriæ meæ, quocunque perrexi, & ubi conſtiti, ibi graſſare viſa eſt Homerica Ἔριος ἄμοτον μεμαυῖα & undecunque perquiri occaſiones diſtractionum atque certaminum. Quod ſi, ut prudentiores metuunt, ſunt iſti eventus fatales cumulatorum multiplicium errorum & delictorum, ferendum ſcilicet eſt, quod mutari non poteſt, & imploranda DEI æterni miſericordia, quæ eſt immenta, & cujus ille in irâ ſuâ quoque non ſolet obliviſci, quem precor, ut tuam generoſam Clementiam benignè tueri, ſalvumque te & incolumem corpore, dignitate, fortunis præſtare velit. Epiſtola generoſæ Clementiæ tuæ neſcio à quo in meas ædes perlata eſt. Has autem literas, miſi Norimbergam ad Philippum, filium meum, qui ibi, quod DEUS æternus feliciter evenire velit, nuper ductâ uxore conſedit (ut generoſæ Clementiæ veſtræ reddendæ

dendæ curarentur, cum alia nulla ostenderetur occasio. Fiet autem fortassis, ut serius illæ ad tuam generosam Clementiam perveniant. Implicui quædam hic proposita Academiæ hujus consuetudine, quorum lectionem arbitrabar tuæ generosæ Clementiæ non ingratam fore. Tua generosa Clementia benè valeat. Vale. Lipsi die XXIII. Mensis Aprilis MDLXXI.

Tuæ generosæ Clementiæ demisse addictus

Joachim. Camerarius.

EPISTOLA XII.

S. D. Litteris generosæ Clementiæ tuæ ad me ante menses aliquot ita scriptis, ut ex iis emineret non solùm pietatis erga Deum æternum, & communem patriam eximium studium, sed erga me quoque benignissima affectio: statim respondi, & epistolam misi Norimbergam Philippo filio meo, cujus operâ ad tuam generosam hæc Clementiam perveniret. Sanè interea sæpius recordatus sum versuum insertorum litteris illis, & interdum mihi in mentem venit, cum gemitu significante dolorem animi mei, proverbii Græcorum: πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι, *olim aliquando fortes erant Milesii*; atque vereor, ne & nostri fuisse olim aliquid tandem verè perhibeantur. Sed hæc DEI æterni misericordiæ committenda sunt. Proximè scriptas alteras reddidit mihi generosæ Clementiæ tuæ minister, cui mea opera utinam præstari potuisset fructuosior. Meam tamen diligentiam non sum passus requiri; de quibus omnibus coràm generosa tua Clementia poterit cognoscere. Cùm autem hic tantum effecisset, quantum res, homines, tempora tulere, & se ad generosam Clementiam tuam reverti mihi indicasset, & si tunc admodum infirmâ valetudine utebar, & morbo senili σφαγγιῶν graviter exagitabar, nolui tamen subjecto studio sine literis meis eum dimittere. Atque optarim,

rim, licuisse generosæ Clementiæ tuæ huc accedere, id quod negatum fuisse significas tibi dolere. Peto autem submisse, ut tua generosa Clementia benignæ voluntatis propensionem erga me & meos conservet, sibique persuadeat, omnibus in rebus, quibus illi inserviatur, pro nostrâ tenui parte fidem & sedulitatis ac qualiscunque industriæ operam subjecta animi cupiditate navatum iri. Tuæ generosæ Clementiæ vitam, salutem, fortunas, generosamque Domum universam Deo æterno commendo. Tua generosa Clementia benè valeat. Vale. Lipsiæ die primo Mensis Julii MDLXXI.

Generosæ Clement. Tuæ
subjectè addictus

Joachim. Camerarius.

EPISTOLA XIII.

S. D. Generose & Nobilis Comes.

ACerbissimo luctu & durissimo morbo me affligente, quod & rei familiaris curatrix, Uxor mea, mortem obiisset, & tentatio mali stranguriei, cum quô multos jam annos conflictor, esset valdè infesta; Hoc igitur tempore meo accepi literas generosæ Clementiæ tuæ sic scriptas, ut illarum lectio in maximâ animi perturbatione esset mihi perquam jucunda, & cruciatus corporis quoque aliquantulum mitigaret. Libellum autem, qui unà allatus est, ostendi amicis Wittenbergensibus, quos autor * tàm benigne compellat, qui ibi congesta scrutando, tanquam omnia jam cantata prius, contemnentes illi quidem, quid tamen fieri oporteat sunt cogitaturi. Ad me quod attinet, ab istis nugatoribus talem fieri mentionem nominis mei lætor, ut palam fiat, isti generi in odio me esse. Conjunxi cum his literis, quas ἀρὸν exaravi, cartas quasdam continentes plenas pietatis & sinceræ doctrinæ Christianæ sententias, quas tuam

* *Lindanum, Episcopum Ruremundanum intelligi ipse Dn. Comes sua manu in margine notavit.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [38] - 26

tuam Generosam Clementiam libenter cognituram esse scio. Tuam generosam Clementiam benè valere ex animo cupio. Vale. Lisp. die XI. Mens. Octobris Anno MDLXXIII.

Tuæ generosæ Clementiæ
submissè addictus

Joachim. Camerarius.

EPISTOLA XIV.

S. D. Quanti fecerit Tuam Generosam Præstantiam noster Parens s. p. m. sciunt multi viri probi, & testantur hoc literarum exempla non pauca, quas ad T. G. P. mittere consuevit; ad quas etiam T. P. G. responsa, inter cæteros bibliothecæ Paternæ librarios thesauros accuratè observamus. Constituerat equidem publico aliquô monumento, quantum fieri posset, nomen G. P. T. aliquin clarissimum celebrare; atque ideò quadam προσφωνήσει Commentarios in Ethica Aristotelis T. P. G. dedicare; sed morte præventus hoc ipsius Consilium fuit interruptum. Editionem tamen hujus libri tandem quasi extorsimus à typographo, illique, nihil recedentes à voluntate parentis nostri, Epistolam nuncupatoriam ab eo compositam præfigi curavimus. Quem librum, autore quoque Huberto nostro, quamprimum è prelo prodiit, subjecto studio ad T. G. P. mittere voluimus, obnixè rogantes, ut hoc factum nostrum in bonam partem interpretari, nosque suæ benignitatis favore in posterum complecti dignetur. Nos certè pro nostra tenuitate qualia cumque officia nostra paratissima tempore T. G. P. offerimus. Benè valeat T. G. P. Francofurti 18. Sept. A. 1578.

T. G. P.

addictiss.

Joachimus & Philippus Camerarii.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [39] - 27

JO. CRATONIS EPISTOLÆ.

EPISTOLA XV.

Illustris & Generose Comes.

Fateor me à vestra Cl. humanitate superatum; Ne literario offi-
cio vincar, ante vertenda mihi est, sive hac rectè, sive non rectè. Rediit autem in nostram Aulam Pichelius, is inquam, qui ad Illustrissimum Electorem Palatinum ab Imp. Majestate missus fuerat. Hic plenâ voce Opt. Principis in Imp. Majestatem summam observantiam ac rectè sentiendi & faciendi studium, & in me benignitatem singularem prædicat. Cupio agnosci gratus; sed ad declarationem præter animum nihil suppetit. Itaque cum, quàm Vestra Cl. gratiosa sit sciam, in majorem modum peto, ut suavitate sermonis, quâ abundat, Illustrissimo Electori animi mei grati obsequendi & inserviendi desiderium declaret, & (nisi hoc nimis familiare est) de meliori, ut dicitur, nota commendet. Tantum me. Est & aliud, de quo vix scribere ausim. Novantur isthic quædam non absque periculo. Sparguntur enim conciones, quæ præcipuum finem τῆς δείνωσις κυριακῆς non gratiarum actionem asserunt. Certè orthodoxi omnes tàm veteres quàm recentes, obsignationem κοινωνίας nostræ cum Christo præcipuum finem S. Cœnæ statuerunt, & hæc nova affinia Svenckfeldianismo & Anabaptismo (à quô bonos Viros abesse non dubito) existimarunt. Ac quid est conversio Cœnæ Domini in Sacrificium Eucharisticum, si hoc non est. Essent & alia, sed nolo videri πολυπραγμονεῖν. De publicis autem invitus literas complere soleo, nec nunc, quod scribam, habeo. Polonia fluctuat, si consistet, brevi certum audiemus. Legatorum Orationes recitatæ sunt, jam vel elegisse vel secessisse arbitamur. Nihil ad perniciem secessione certius. Prensat Ferrariensis, ut hoc modo Magnum Ducem superet, Arneatus, atque instructus est auro, quo scit capi Polonos, de quibus verissimum est illud Eclogium Virgilianum;

Vendidit hîc auro Patriam, dominumque furentem
Substituit, leges precio fixitque refixit,

Sed

Sed de his nimium, cum quidem illud: aut pauca, aut suavia, mihi cogitandum esset. Bene vale Illustris Comes. Viennæ XXVII. Novembris MDLXXV.

Illustriss. Vestræ Clem. addictus

Jo. Crato à Craffheim.

EPISTOLA. XVI.

Responsoria ad præcedentem.

LUDOVICUS C. W.

Jo. Cratoni à Craftheim S.

QUod nunc demum ad literas tuas Mense Novembri scriptas respondeo, non negligentiæ tribuere, sed peregrinationibus nostris te dare oportet. Facit enim vel sola nominis tui celebritas, ut merito reverenter te colam. Cupis te P. Electori commendari; verum id nullo tuo incommodo à me prætermitti possit, cum sciam, eum alioqui erga te optimè affectum. Utinam in majoribus tibi gratificari possim. Addis querelam, esse nimirum ex nostris, qui de Cœnæ S. finibus non recta tradere videantur. Pia quidem est hæc sollicitudo, & scio, quàm periculosum sit, hoc præcipuè tempore aliquid in hâc doctrinâ novare. At omninò mihi persuadeo, autores hujus dogmatis non tàm innovandi studio, quam nescio quô Zelô abripi, & fortasse non tam re ipsâ, quàm in docendi methoto dissentire, cùm receptam hujus Ecclesiæ doctrinâ voce scriptisque luculenter explicatam de totô cœnæ negotio, minimè illi convulsam velint. Quicquid sit, nihil protervè hic facturos spero eos, qui in veritate propagandâ summum studium & fervorem hactenus demonstrarunt. Adsit Ecclesiæ suæ Christus, eamqu ab omni fermento puram conservet. De Polonis si vera nunciantur, magna illi non sibi solum, sed, ni DEUS avertat, universo orbi Christiano incommoda accersent. Metuunt dudum viri pii & prudentes, ne ingratitudinem & contumaciam in veritatis doctrinâ opprimenda, idolisque stabiliendis Deus extremè puniat; At nescio, annon manifesta jam præludia adpareant. Quapropter excitari tandem oportebat Christiani orbis

bis Monarchas, ut impendentem hanc cladem averterent. Frustra autem offenso Deo humana quæri subsidia vel sola Israelitarum historia satis demonstrat. Scio Principem meum vel ab hoc multorum invidiam sustinere, quod pro eximiâ pietate, sublatis offendiculis iram Divinæ numinis placare seriò laborat. Cæterum quàm utilis, imò necessarius ille sit conatus, periculum est ne ingrato mundo tristis mox exitus comprobet. Sed de his satis; cumque jam aliud non suppetit, rogandus Deus, ut corda Principum spiritu suo ad obsequium flectat. Vale. Die XXIV. Febr. A. 1576.

EPISTOLA XVII.

Illustris ac generose Comes.

NEque cessationis excusationem, neque mei laudationem expectabam ad meam epistolam verè ineptam. Utramque tamen in literis Clo. tuæ libentissimè legi, cum probari me à viro summo amoris indicium sit. Animadverto autem & alias in epistolâ minimè obscuras singularis benevolentiæ notas, elegantis verò ingenii, judicii perspicacis, & omni liberali doctrinâ politissimi evidentes. Itaque ut nihil ad Generosam tuam præstantiam, nisi maximâ diligentiâ cogitatum, elaboratum magnâ industriâ & perpolitum singulari studio mittam, veras magnasque causas habeo. Verum quibus curis distinear, quàm nunquam vacem, nemo ignorat, nisi qui me istô locô esse nescit. Accedebat autem nunc morbus, qui mihi omnes mentis atque corporis vires adimit. Sed sustento me, ut possum, &, ut Christi robore confirmet precor, meque ad beatam migrationem, si Deo sic visum fuerit, paro. De vestris quod scripsi, ineptè à me factum fateor. Ad me redeo. Et cùm mihi tanti sim, quanti me fieri ab illis, quorum virtus in Illustri est loco, intelligo, nonnihil mihi de tuæ Cle. literis placeo, & ut DEO benignissimo omnia nostra probentur & placeant precor. Polonica adhuc fluctuant; existimant tamen quidam, Imperatorem conditio-

nes

nes quasdam accepturum, rejecturos cæteros in ipsorum deliberationem, eosque his diebus Decretum, quô Regnum defertur, exhibiturus. Vereorne ex his fumis flamma erumpat, & incendium quô magna pars Christianæ Reipublicæ conflagret, oriatur. Deum oro, ut avertat. Bene vale Generosissime Domine. XIX. Martii 1576.

V. Generosissimæ. Cle.
addictissimus

Crato.

CASP. PEUCERI EPISTOLÆ.

EPISTOLA XIIX.

S. D. Inclyte & Generose D. Comes, Domine Clementissime.

GRatitudinis declaratio sera nunquam, si sit sincera. Idcirco non excusabo Inclytæ Generositati tuæ silentium meum à liberatione mea, etsi agnosco & fateor erratum hac in parte meum, quod non multò ante præstiti, id, quod debui, ostendendo vel epistolio brevi, quantum debeam G. T. pro eâ, ad quam illa se obtulit, & quam suscepit, cura atque opera liberationis meæ conficiendæ causa mox inter initia. Sed occasiones defuerunt, quas oblatas hoc tempo. Marpurgi per virum Clariss. D. Sixtinum negligendas minimè pu[illegible]vi. Non excidit animo meo, nec unquam excidet memoria clementissimæ affectionis illius & voluntatis erga me donec vixero; nec prædicare eam desinam; sicut & feci hactenus, etsi eum illa eventum & finem consecuta non est, qui fuit spectatus ac quæsitus. Nondum enim misericordiam in me suam Deus compleverat; nondum, quod instituerat peregerat. Sed inter innumeros alios, ex omni ordine hominum, qui meâ causâ tentarunt, quantum potuerunt, Generos. tuam commemorabo semper cum testificatione gratitudinis debitæ, declarabo etiam, si fuero superstes ad omnes eandem

dem occasiones. Id paucis G. T. significare tantum volui, cum festinanti mihi non concederetur satis temporis ad celebrandam beneficii magnitudinem, quô me affectum profiteor; petoque eâ, quâ par est, ac fieri decet, animi subjectione, ut G. Tua significationem hanc animi gratitudinis cupidissimi clementer accipiat, & in partem interpretetur optimam, meque complecti suo patrocinio pergat. Ego ut meam probem fidem & gratitudinem vicissim G. T. enitar omni conatu & studio. Marpurgi 23. Maij A. 1588.

G. T.

Reverenter subjectione
verâ colens

Caspar Peucerus, D.

EPISTOLA XIX.

S. D. Inclyte & Generose Domine Comes, Domine & Patrone reverenter colende.

QUam sæpè expetivi & quæsivi occasionem conveniendi T. Inclytam Generositatem, eam cum nactus essem ex voto, rursum tamen eripuit mihi nescio quæ mutatio consiliorum, aulis non inusitata. Nondum tamen despero de opportunitatibus aliis. Qui verò has adferet literas, Hieronymus à Dieska, vir verè Nobilis & stirpe & doctrinâ, sapientiâ ac virtute, ille pleraque, de quibus G. T. fuissem edocturus, commemorabit. Discessit ex patriâ, ut cedat furoribus insanientis multitudinis, & quærit apud vos locum. Cum autem non dubitem, magno eum vobis usui & ornamento esse posse, diligenter & accuratè commendans illum, rogo, ut conductum stipendio honesto retineatis. Natus est ex familiâ nobili præcipuâ ac celebri, habetque in aula Saxonica agnatos, quorum est autoritas magna; poterit de omnibus, quæ ibi geruntur, ac fiunt, & quæ vos scire plurimum interest, hoc perturbato ac confuso rerum statu cognoscere, & consiliis accommodatis juvare. Me etiam G. T. commendo,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [44] - 32

mendo, petoque, ut qua me semper illa benevolentia complexa est, hanc deinceps etiam conservet, ac senem jam atque exulem fovere ac tueri non desinat, Bene & feliciter valeat G. T. Datæ 14. April, Jul. Anno 1592.

Caspar Peucerus, D.

EPISTOLA XX.

S. D. Illustris, Generose D. Comes, Domine cum subjectione ac reverentiâ colende.

ESt Heidelberga commune quoddam asylum hoc tempore Exulum piorum. Non dubito, Deum ex misericordiâ singulari tributurum vobis post illas procellas πρεμίαν & halcyonia, ut sub pacata ac salutari gubernatione Illustrissimi Electoris Palatini exagitata alibi terribili concussu Ecclesia requiescat aliquantulum ac respiret, quia seriò quæritis veritatem & gloriam filii Dei, juxta promissionem. Quæretis me, & invenietis, cum quæsiveritis me toto corde vestro. Confugiunt ad vos accursu ac perpetuo Exules; & quò se verterent excluſi ubique novis & hactenus inusitatis Germaniæ interdictis? Sed quæ sanciat jura talibus non tantum vox divina, præsertim si exilium à veritatis Confessione existat, verum etiam ipsa Ecclesia humanior ac sapientior antiquitas T. Illustri Generositati notum est. Dabit illa itaque mihi veniam, si pro talibus intercedam, qualis est hic Christophorus Arnoldus, qui in Aulâ Electoris Saxoniæ erudiit adolescentes nobiles ministerio Illustrium filiorum destinatos. A quô dimissus cum honorifico testimonio cogitat reverti ad Juris studium, ingenio egregio & doctrinâ eruditâ ac variâ instructus. Sed & occasionibus & præsidiis destituitur, quorum utrumque se apud vos reperturum speratrsi aut beneficio Illustrissimo alatur, aut operâ atque autoritate Patronorum præficiatur Præceptor natis ex familia aut Comitum Illustrium aut Nobilium. Quorum posterius cum facilius consecuturum eum sperem, si à Viris

Illustribus aut aliis præditis autoritate adjuvetur; Illustr. Tuæ G. illum, quâ debeo cum subjectione animi, commendo, quod ideo lubentius feci, ut habeat Illustr. G. Tua occasionem cum eô colloquendi de rerum illis in oris statu à quibus venit. Oro etiam, ut Ill. G. Tua mihi liberius illam compellanti & oneranti det benignè veniam, & de iis quoque, quæ ad me pertinent, consilium suum clementer impertiat, sicut nuper petivi, in quibus specto præcipuè patrocinium & securitatem, quamquam minimè dubito, utrumque Deum mihi ad preces meas assiduas ac fiduciam certissimam indubitato præstiturum esse. Benè & feliciter valeat Ill. G. Tua. Datæ 22. Mai, Jul. A. 1592.

Caspar. Peucerus, D.

EPISTOLA XXI.

Responsoria ad præcedentem.

Ludovicus C. W.

D. Peucero S.

QUoniam huc usque mihi non contigit, familiarem aliquam tui habere notitiam, doctiss. Peucere, per epistolas, quæ absentium colloquia sunt, amicitiam inter nos inchoatam fovere studebo. Heidelbergâ nuper ad me missæ sunt tuæ literæ, quibus pro Exule, Christophoro Arnoldo, intercedis, eumque ab ingenio & doctrinâ eruditâ commendas. Quid talibus debeatur, qui ob veritatis confessionem ac justitiam patiuntur, quovè sint favore digni, qui ejusmodi sunt virtutibus ornati, non ignoro. Cæterum quia absens modò ab aulâ prodesse ei non potui, Grunradio scripsi, ut meas vices suppleat, quem scio tua causa nihil non facturum esse. Ubi Heidelbergam rediero, quod, Deo favente, fiet brevi, libenter & ipse officium meum faciam. Petis præterea, ut de iis, quæ ad te pertinent, & de quibus paullò ante, quàm ex aula discederem, ad me scripseras, consilium impertirem. At demiror, pridem tibi

Prin-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [46] - 34

Principis noſtri voluntatem, & quàm clementer votis tuis annuat, non fuiſſe ſignificatam. Quod tunc ipſe non reſpondi, abeundi præceps feſtinatio in cauſa fuit; quocirca boni, quæſo, conſulas. Rogaveram autem Grunradium, ut id tibi unà cum ſalutatione mea, atque etiam Electoris decreto perſcriberet, quod omninò eum feciſſe atque etiam te ea de re certiorem eſſe, factum confido, prius quàm hæc forte ad te pervenient. Scribit quidam ex primaria Nobilitate Saxoniæ in hanc ſententiam: *Fama haud dubio apud vos percrebuit, Calvini ſectatores in hiſce terris durius tractari. Verum ita res habet. Atrox erat facies hujus patriæ, & varia conſilia ſub prætextu* Religionis *agitata. Qui horum conſcii fuerunt, minus ſanè amantur, & diſceſſus eorum deſideratur. At in aliquem, qui opinionem ejus apertè profitetur, gravius quidquam commiſſum eſſe, me latet, nec animus fuit* Ordinum Torgavongregatorum, *perſecutionis quidquam tentare.* Hæc ille. An autem ita ſe habeat, & quinam atrocium conſiliorum autores notentur, tu rectius æſtimare potes. Ego non dubito, odio veritatis multa in homnes innoxios confingi, & *Eccleſiaſticos buccinatores* ſimplicioribus imponere. Deus maledicentium ora contundere & te, è faucibus luporum ereptum, ſervare clementer velit. Dat. B. die 27. Jun. A. 1592.

EPISTOLA XXII.

S. D. Illuſtris & Generoſe Domine Comes &c.

NEſcio an rectè faciam, quod Illuſt. T.G. toties interpello commendationibus illorum, quos veritatis confeſſio in exilium ejicit. Sed quomodo bonis Viris & rerum ſuarum ſatagentibus denegare hoc officium poſſum meum ipſius exilium intuens, & quantum ac quot modis in hoc DEUS mihi benefaciat, conſiderans; ſæpè repetens etiam mecum voces Scripturæ, ſympatheiam erga ſocios afflictionum ac perſecutionum communium præcipientes, quibus ſi non afficerer, Ethnico & infideli fierem deterior. Hos enim jura Hoſpitum, advenarum & Exulum ſanctè religioſeque coluiſſe certum eſt. Accedit ad vos

iterum hic Exul, M. Alexander Beccerus, qui Diaconus sub D. Gundermanno docuit, & servivit Lipsiensi Ecclesiæ in templo Thomano, doctrinâ & moribus probatus vir de illorum testimonio, quorum ad me literas attulit. Hunc si vestri, quibus cura rerum Ecclesiasticarum commissa est, retinuerint exploratum prius, & idoneo aliquô locô constituerint, credo rectè eos facturos esse, atque ut faciant hortor ac consulo. Exponet autem coram vobis, quò res illarum terrarum redigantur. Est apud nos Cassel is & Doctor Schonfeldius, Pastor Dresdensis, post D. Pierium nuper dimissus, quod recusarat suffragari chymæræ, quæ Formula Concordiæ nominatur, concionator egregius, & in docendo facundus, perspicuus ac planus, integrè ac rectè doctus. Ille etiam fortasse brevi hunc sequetur, si locum hic non repererit. Usui esse poterit Urbi & Ecclesiæ alicui frequenti ac populosæ. De utroque ut Illustris G. T. cogitetre, verenter rogo; Video, quidquid reliquum fuerit Orthodoxorum & rectè eruditorum illis in partibus, id omne aut abire sponte, aut jussum, ac dimissum, præter eos, qui adhuc carcere vel aresto detinentur. Mira rerum facies in Germannia est, nec scio an si retexam pristina, similem sim reperturus. Sed deteriora adhuc secutura vereor, quæ ut mitiget Deus propter Electos, assiduè, sollicitè & anxiè precor. Benè & feliciter valeat Ill. T. G. Datæ 14. Jun. Jul. A. 1592.

Caspar Peucerus, D.

EPISTOLA XXIII.

S. D. Illustris D. Comes.

NOn dubito, Grünradum reversum exposuisse vobis, quo in loco repererit & reliquerit res patriæ suæ. Καθαίρεσις instituta nondum putatur habere finem; Orthodoxi plerique tamen aut moti sunt ab omni parte gubernationis publicæ in Ecclesiis ac Politiis, aut simul etiam jussi mutare solum. Inter doctos ex omni Facultа-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [48] - 36

cultatum & Ordinum genere præcipui ſedes & munera publica quærunt alibi. In Republica Lipſienſi, quæ harum terrarum cenſetur florentiſſima & optimè conſtituta propter Gubernatorum prudentiam, magna fuit autoritas & celebritas hujus Magiſtri Urbani Francii, Secretarii præcipui, & multarum rerum nectoris ſapientis ac felicis, quanquam adhuc juvenis, propter doctrinam, prudentiam politicam, integritatem, fidem, & ſedulitatem quorum omnium fundamentum in ipſo fuit ſincera & non ſimulata pietas. Ille repudiare maluit annui reditus florenos mille certos, quod mihi confirmarunt præcipui ac fide digniſſimi Viri quam per hypocriticam approbationem articulorum; (qui ſunt partim Sphyngis ænigmata contradictionum perpetuè obſcuro & lubrico implexu, partim impia, falſa & blaſphema manifeſtè) vulnere perpetuò ſciens ſauciare conſcientiam. Cum autem nulla penitus affulgeat ſpes emendationis in his terris in melius, & malum contagio ita ſerpſerit, ut paucis locis exceptis pleraque alia infectione & faſcino commoverit, abeſſe hinc mavult, quàm aut ſocius aut ſpectator eſſe eorum, quæ contra orthodoxam fidem ſuſcepta bellum inferunt Filio DEI. Veſtras autem tetras præfert omnibus, recto de Eccleſiâ judicio, & vobis, quàm ali is, inſervire mallet. Quod ergo ex communi famâ & ſingulari commendatione ſapientum non dubito eum magno uſui vobis eſſe poſſe: Tuæ Inclytæ Generoſitati illum commendo, petens cum ſubjectione reverenter, ut aliquô collocetur in munere, in quo probare eadem vobis queat cum publico emolumento, quæ hìc gloriosè præſtitit. Ego adhuc quò, quæ fiunt, evaſura ſint, ſpectabo. Acerbitatem & immanitatem odii adverſus me mitiorem aliquando experior, quàm nonnullorum literis & vulgi ſermonibus fuit exaggerata. Ex Aulá Imperatoris ad me ſcribit Vir optimus: nihil unquam à quoquam, qui mihi ſunt familiares in aula, de te audivi. *Non dubito fuiſſe, & forſan adhuc eſſe nonnullos ex tuis popularibus, hominibus irrequietis, qui aliquid eorum contra te, de quibus ſcribis moliti ſunt. Quo enim animo illud genus hominum erga alios affectum ſit, ipſe noſti, & nos novimus. Inſano odio noſtri ſuperant Papiſtas; imo longe magis nos damnant & perſequuntur, quàm Turca Chriſtianos. Sed ego de noſtro Imperatore, quem ſcio Clementiſſimum, pacis & tranquillitatis publicæ cupidiſſimum, non delectari ullorum perſecutione ob religionem, id mihi certiſſimè perſuadeo; nec in te, nec in ullas privatas perſonas, præſertim qui*

alieno Domino serviunt, quidquam ob religionis dissensionem admissurum esse. Et Deum oro, ut quod huc usque Clementer fecit, cor Imperatoris ad pietatem & mansuetudinem regere, ac flectere dignetur, neque patiatur impulsoribus & Satellitibus Satanæ, hostibus puræ religionis, ipsi aures demulceri ad nos divexandos & perdendos. Hæc ille. Ego ad dissidia publica aliud melius & magis salutare consilium & remedium novi nullum, quàm de quô coràm egimus, quod & in itinere accuratius deliberavimus Grunradius & ego. Neque ad Testimonium de veritate & gloria filii Dei, de confessione nostra, de Innocentia nostra & hostium Apostasia, & ad conjunctionem plurimorum accommodatius & efficacius reperierur quidquam. Benè & feliciter valeat T. Incl. G. Datæ 27. Octobr. Jul. A. 1592. Dessæ.

Caspar Peucerus, D.

EPISTOLA XXIV.

S. D. Illustris & Generose D. Comes &c.

DAbit mihi Illustris G. T. clementer veniam, quod intercessionibus pro Exulibus G. T. interpellare & fatigare non cesso. Nec facerem id, nisi mihi sincera constansque pietas & voluntas optima perpetuaque erga afflictas propter veritatis confessionem Sympatheia G. T. perspecta esset. Venit ille ad vos Adolphus Weinhans, cujus per seditiosum tumultum domus direpta tota & vastata fuit Lipsiæ, cum omni supellectile, amicis suadentibus, ne temerè se objiciat aut committat odiis adhuc furentibus. Vir prædicatur ab omnibus pius esse, veritatis amans, industrius, vigilans, laboriosus, fidelis, idoneus ad quasvis œconomias, quæstorias ac mercatorias operas. Cum se autem existimet nusquam melius esse posse aut tutius, quàm in Palatinatu, offert ac defert operam suam Illustrissimo Palatinô Electori, Domino nostro Clementissimo, orans subjectissimâ mente ac fide, ut aliquô tali locô & munere collocetur, quô cum bona & tranquilla conscientia Deo & Magistratui suo serviat. Quâ in re cum se plurimum, imò omnium maximè G. T. autoritate juvari posse certò

certò sibi persuadeat, ad illam supplex confugit. Idem cum illo & ego peto, confidens certò, quod laudem industriæ, fidei & integritatis à quibus unô omnium ore commendatur, majore & acriore studio post calamitatem, quam non suâ culpâ, sed malitiâ incitatorum tribunitiis concionibus perpessus est, cumulaturus sit. Meas operas inchoavi, absolvissem etiam penè, nisi toties interpellarer. Nihil mihi tamen tàm curæ erit, quàm ut quamprimum pertexam. De publicis, quæ volet T. G. nosse, ex hoc Adolpho cognoscet. Illustrissimum nostrum Ascanium apud Electorem Brandenburgicum nunc commorantem in horas & momenta expectamus reducem. Nondum ab eo quid literarum accepimus, ex quô Electori adfuit, quod silentium spem nobis facit, de celeriore reditu. Benè & feliciter valeas Illustriss. G. T. quam Deo commendo petens, quâ decet ac par est fieri, animi cum subjectione, ut suam erga me etiam clementem affectionem conservet, quam quibus potero studiis ac obsequiis fovere ac tueri conabor. Datæ 10. Aug. Jul. Dessæ Anno 1593.

Casparus Peucerus, D.

P. S.

Commendo Illustriss. G. T. & comitem Adolph. Johannem Molitorem, Virum in Jure doctum excellentem & pium.

EPISTOLA XXV.

LUDOVICUS C. W. D. Peucero S.

QUoniam ita tibi visum est, per Illust. Principem Anhaldinum unà cum scripto Apologetico epistolam ad me dare, eadem occasione aliquid rescribendum putavi. Principio autem tibi gratiam habeo pro benevola salutatione, ac quod in eorum numero me accenses, quibus cum de rebus gravibus conferre libuit. Id enim honorificum mihi duco, quoniam magnis & sapientibus placuisse viris haud infima laus est. Quod ad scriptum illud attinet,

etsi

etsi de rebus tantis mihi judicium non sumo, non tamen verebor, id inter ea referre, quæ non nostro solum, sed & futuro seculo multum Ecclesiæ prodesse poterunt. Nec est difficile ex eo ipso & quotidiana experientia cognoscere, quantùm interfit Ecclesiis orthodoxis & posteritati ea testimonia relinquere actionum præteritarum, quæ paucis nota mox oblivione sepelirentur. Quis autem jure queat reprehendere veram narrationem de exordio & progressu renascentis Evangelii, quæ de rebus magnis & necessariis commonefacit, ut omni ævo usitatas Satanæ insidias observantes ab eorum impostoris caveamus, qui ad errores stabiliendos magnorum virorum autoritate abutuntur. Benè ergo mones, orthodoxæ veritati ac posteritati hoc deberi, ut apologia opponatur Ecclesiarum vastatoribus, qui nunc eò liberius grassantur, quoniam religiosus patrum Zelus deferbuit, ac pauci norunt funesti illius dissidii occasionem & primos autores. Quocirca Pr. Elector id negotii dedit quibusdam doctrinâ & experientiâ præstantibus, ut diligenter scriptum tuum evolvant, atque considerent, quomodo ad usum Reipublicæ accommodari, & in Comitiis, si opus, dextrè proponi possit. Multa enim circumspicienda, ne moderatores exacerbentur, vel præfractis ansa calumniandi præbeatur. Mora, quam excusas, quoniam nihil detrimenti dedit defensione opus non habet. Bene vale. Heidelb. postrid. Calend. April. A. 1594.

EPISTOLA XXVI.

S. D. Illustris & Generose Domine Comes &c.

SAt mihi, quod intelligo, Inclyt. G. Tuæ pro bavi & studium & consilium meum, quo me spectare aliud nihil, quàm veritatem & gloriam Filii Dei, & salutem cum tranquillitate Ecclesiæ inter nos, & Reipublicæ novit Deus καρδιογνώστης. Vos pro pietate & sapientiâ ac moderatione vestrâ cum imploratione seriâ præsidii divini, spiritu S. duce, & cum spe non dubiâ exitûs, melioris, quàm præsagiunt

vel

vel moliuntur potius hostes ac persecutores veritatis, facietis, quod tempore quovis præsens flagitabit atque urgebit necessitas, observatâ regulâ, ne gratiam, ne gloriam hominum, gratiæ, veritati & gloriæ DEI anteferamus, juxta Christi dictum: *Quomodo potestis vos credere, cùm gloriam alii ab aliis capietis, & gloriam, quæ à solo DEO proficiscitur, non quæratis?* Quid relinquit talibus Christus ademtâ fide, quàm hypocrisin quam acrius taxat & arguit ut occultum peccatum quàm aliud ullum post blasphemiam? Quid, struant Adversarii nostri, inter semet ipsos de iisdem controversiis magis dissentientes, sub collusionis tamen simulato prætextu, quam utique si singuli suô locô à nobis discrepent, in ore est omni populo. Sed nobis sufficiat certitudo gratiæ promissæ & auxilii divini. D.D. Dobinus misit ad me per Illustriss. Principem Christianum annotata tria, in quibus hæreat, de quibus cum responderi m illi propè ante mensem, non dubito, pagellas meas Ill. G. T. lectas esse. Scripsit ad me & D. Reuberus de suis annotatis, quæ me legere cuperet: sed puto satis esse, si vobis satisfaciat. Ne tamen, quidquam derogem cuiquam, non existimo quenquam idiomate Germanico causam tractare ipso melius posse, si velit. Ignoscat mihi Ill. G. T. si quid hac in re pecco. Benè & feliciter valeat Ill. G. T. cui me cum subjectionem commendo, Deum orans, ut Ill. G. T. salvam. diu & incolumem conservet. Datæ 25. Maji, Jul. A. 1594.

Caspar Peucerus, D.

P. S.

Reinhardum Bachovium ex mea commendatione antea Illust. G. T. notum, sed nunc cum familia ad vos proficiscentem, non dubito vobis curæ fore.

EPISTOLA XXVII.

LUDOVICUS C. W. D. Peucero S.

QUod à multo tempore nullas à me accepisti literas, possem quidem per absentiam & occupationes aliquô modô excusare;

attamen, si qua residet culpa, eam malo deprecari, quàm extenuare, ne humanitate tuâ abuti videar. Pium est, multaque laude dignum studium, quod in Ecclesiâ & pace publicâ conservanda posuisti. Video etiam, laborem eum non fuisse inanem, siquidem, quod cum multis bonis verebare & vulgi quadam acclamatione decretum videbatur, de nostrorum condemnatione & exclusione, illud Deus clementer avertit, Philisteorum exemplo, qui Saulem à persecutione Davidis oportunè retraxerunt. Accedit alterum beneficium, pro quô etiam Deo gratia debetur, quod Illustriss. nostri Privilegiis à Cæsare de more confirmatis ab actione illa leberatus est, quæ de administratione intentata fuerat. Itaque jam velut sui juris factus deinceps majore cum autoritate ac nemine impediente rempublicam liberè gubernare poterit. Si ergo rebus in Palatinatu mediocriter constitutis atque confirmatis & mihi hæc optata offertur occasio, ut, veniâ impetratâ ad penates redire liceat, quo me dudum revocat naturalis quasi obligatio, quâ meæ fidei commissis sum obstrictus, & ætas ingravescens, occupationibus curisque intensioribus prorsus impar. Bachovium ex tua commendatione habeo commendatum, Vale. Dat. Heidelb. die 10. Sept. A. 1594.

EPISTOLA XXIIX.

S. D. Illustris & Generose D. Comes &c.

NOn possum satis dignas gratias agere Inclytæ T. G. pro humanitate tanta, quanta erga me in respondendo ad meas literas utitur. Utinam frui mihi, dum vivo, hoc colloquii genere liceat, non tam propter testimonia benignissimæ erga me voluntatis egregia, quàm propter Illustria argumenta pietatis & sapientiæ, quibus erudior ac confirmor plurimum. Meditari autem Incl. G. T. discessum ab Electore sereniss. mo doleo, non tam ipsius, quàm Ecclesiæ & Reipublicæ causa, quod difficultates gubernationis utriusque, & pericula cùm ab externis hostibus, tum ab intestinis ac domesticis vulneribus ingra-

ingraveſcere, & horum cauſas, ideſt, furores hominum creſcere indies comperio. Etſi enim non defutura eſſe ſcio præſidia cœleſtia Electori in hac gubernatione prima ac tenera, ſemperque mihi in animo eſt & ore illud Pſalmi, meo demonſtratum etiam ac comprobatum exemplo: *Niſi Dominus fuiſſet nobiſcum, cum inſurgerent in nos homines, tunc vivos deglutiviſſent nos, cum accenſus eſſet furor ipſorum: Tunc aquæ abſorbuiſſent nos. Torrens tranſiviſſet ſuper noſtram animam &c.* Tamen faciliora ſunt omnia & expeditiora adſuefactis ad onera difficilis ac periculoſi regiminis, & rerum peritis, qui adverſa, ubi opus eſt, prævisa multo ante cum invocatione DEI ſeria & fiducia auxilii à Spiritu S. declinare aut ferre norunt. Eſt ita, ut ſcribit Incly. G. Tua averſas eſſe moliciones, quas domeſtici hoſtes conceperant animis ac votis, retractu in hoſtem potentiorem, ac veriſſimum eſſe prophetæ dictum hoc ipſo in exemplo didicimus: *Impios eſſe, ut mare fervens, cujus fluctus cùm exundarunt impetu in terram quantumvis terribili, conculcati tamen vertuntur in lutum.* Vigiles tamen & nos eſſe oportet cautosque, ne ſecuritate opprimamur. Nemo autem doctrina, ſapientia, pietate, ætatis autoritate & rerum peritia plus Incly. G. T. Principi Juveni prodeſſe poterat. Sed meum non eſt, quidquam Incl. G. T. præſcribere, &, quod hujus à me fit optimo ſollicitoque inter hos tantos Imperiorum ac Regnorum fluctûs animo, tamque atrocia minitantur ab omni parte, confido Incly. G. T. pro ſummo ſuo candore optimè accepturam eſſe atque interpretaturam. Non poſſum deponere ſollicitudinem aſpiciens, quæ fiunt, & auctu in valeſcunt domi. Et hæc ipſa, quas ab attracto hoſte pœnas acceſſiverunt, urgent hunc atque exaſperant ſine ulla ſpe emendationis in melius. DEUS miſereatur reliquiarum Eccleſiæ ſuæ, & colligat ac ſervet ſibi inter nos etiam ſemen Sanctum, uſque ad glorioſum adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti. Bene & feliciter valeat Incly. G. T. Plura D. Grunradius referet. Datæ 4. Octobr. Jul. Anno 1594.

Caſpar Peucerus, D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [55] - 43

EPISTOLA XXIX.

Ludovicus, C. W.

D. Peucero S.

SI poſt has litteræ meæ tardius ad te transcurrant, longis tribus ambagibus (Heidelbergam enim hinc mittendæ ſunt, unde etiam tuas d. 4. Octobr. datas accepi) non tamen idcircò exiſtimare debes, de amore & obſervantiâ erga te quidquam me remiſſurum eſſe. Gratulor enim ipſe mihi de tua & ſimilium celeberrimi nominis amicitiâ, quos & ego, dum vivo, reverenter colere nunquam obliviſcar. Heidelberga mihi deſerenda fuit, non tam ſponte, quam quadam neceſſitate adacto. Electoris Illuſtriſſ. autoritas cum ætate creſcens ſucceſſum magis proſperum pollicetur, quam multi putaſſent. Qui verò Eccleſiis noſtris dira minabantur, nunc de ſalute propriâ ſolliciti ad Turcæ mentionem contremiſcunt. Fateor equidem, Peucere, me admodum metuere, ne eventus comprobet, quæ dudum prædixit Lutherus: *Infelicem fore omnem belli apparatum contra Turcas, ob ſummam noſtrorum ingratitudinem erga patefactam Evangelii veritatem.* Nam, ut Pontificios omittam, qui pro deploratis dudum habentur; quid illi moliantur, qui Lutherani vocari, & Ariſtarchi Eccleſiarum haberi volunt, tu omnium optimè noſti, & magno tuo malo es expertus. Juſtam habes & cum bonis omnibus communem querimoniam de ingraveſcentibus hominum furoribus, quibus illi Eccleſiam atque Rempublicam turbant, ac ſibi ipſis graves pœnas accerſunt, nec tamen emendationis ullam ſpem faciunt. Cæſaris atque Ordinum decreto ad campanæ pulſum ubique preces indictæ ſunt; At de vera pœnitentia & converſione verbum nullum, ſine quibus inefficaces ſunt, quæcunque, etiam per miriades effuſæ, preces. Accedit alia magis abominanda profanatio. Eadem enim eſt divini cultus, quæ Religionum diſcrepantia; quaſi Altiſſimus hominum commentis placari ſeu ad religioſæ pacificationis leges adſtringi poſſet, ut neceſſe habeat, id ratum habere, quod cuique libuerit.

Quis

Quis jam miretur homines barbaros, seminudos atque inermes, solo intuitu ac horrifero ululatu instructiss. phalanges nostras velut cinerem dispergere? Unum restat, ut precibus assiduis Patrem cœlestem expergefaciamus, atque in silentio & spe possideamus animas nostras; non autem patietur Electos supra vires premi, qui bonus ac fidelis est suorum custos. Denique precationem ad Epistolæ tuæ finem appositam libet hìc pro conclusione repetere. Deus misereatur reliquiarum Ecclesiæ suæ, colligat ac servet sibi inter nos etiam semen sanctum, usque ad glorioſum adventum Domini nostri Jesu Christi. Amen. Dat. B. d. 28. Decembr. A. 1594.

EPISTOLA XXX.

S. D. Illustris & Generose Domine Comes &c.

CUm appulissem Heidelbergam, accersitus ab Illustrissimo Principe, Christiano Anhaltino &c. ad curationem læsi pedis, itinere longo, inter asperrima frigora & vias difficillimas hâc meâ senectâ felicius confecto, quàm plerique futurum metuebant, reperi Illustr. G. T. literas ad me apud Grunradium nostrum, quas magno cum gaudio legi. Ago animo gratias, quantas debeo & possum, quod Ill. G. tua non tantum memoriam mei conservat, sed & me tàm benevolè ac benignè complectitur. Ego donec vixero, dabo operam, ut omni observantiæ studiique genere benevolentiam hanc alamac tuear. Pericula, quibus cum Germania utraque conflictatur, Hesperia cis Harciniam propter Hispanos rabiosâ superbiâ inhiantes Monarchiæ; Eoa ultra montes & Harciniam propter gentes barbaras totis se viribus accingentes ad hujus vastationem & excidium, majora sunt, atrociora & propiora utrique, quam securitas nostra ex fatali cœcitate, atque indurati calli ἀναισθησία ac stupore capere possit, quæ ne quidē propria sua ac domestica mala sentit, externis non minora, nec intelliget prius, quā oppressa corruerit. Certè ut rectè censet Ill. G. T. περιτίσματα illa partim Pharisaica & hypocritica, partim Ethnica & ab Ethnicis profecta quæ sunt histrionica spectacula Deo illudentia, sine ullâ vel pietatis vel

pavorum ad cogitationem iræ Dei gustu sensuque, non placabunt, sed gravius irritabunt Deum, nec pœnas & clades decreto Divino destinatas furiosæ ac Cyclopicæ ingratitudini maximæ multitudinis aut mitigabunt aut avertent, sed accelerabunt potius & exacerbabunt. Appetunt omninò illa secula quæ novissimum diem antecessura esse prædixit Filius DEI; commixtiones Gentium & confusiones religionum sequentur tantæ, ut seducturæ sint etiam Electos, si foret possibile. Religionum confusiones ante oculos sunt; instant etiam, jamque ex propinquo nos urgent Gentium commixtiones, quibus obruetur, quidquid puritatis in fide & doctrinâ Christianâ reliquum est. Nobis ergo quid superest aliud, quàm ut seriò ardenterque precemur Deum, ne tantis nos malis involvat, & parcat posteritati etiam nostræ, atque ex ea ut hæreditatem sanctam, immaculatam & beatam Filio, Domino nostro, Jesu Christo colligat, idque ut faciamus cum seria sinceraque emendatione vitæ in melius, & pœnarum ac peccatorum deprecatione.

Hæc scribo inter magnos animi dolores vehementer anxius ac sollicitus de nobis & de posteritate nostra, Deum precans, ut, si omninò effundere in Germaniam justissimam iram suam volet, me ne spectatorem ruinæ tristissimæ faciat. Benè & feliciter valeat Ill. G. T. quam semper meis precibus Deo cummendo. Datæ Heidelbergæ 3. Matt. Jul. A. 1595.

Casparus Peucerus, D.

EPISTOLA XXXI.

Illustris & Generose Domine,

VEritissimum est, quod scribit Ill. V. D. non tàm difficile esse, de præsentibus rebus judicare, quàm periculosum; nam eò jam res deductæ sunt. Sed sunt omnium rerum etiam fatales periodi. Et sæpe accidit, ut, quò quid majore, ne quid durius dicam, impetu incipitur, eo minori felicitate conficiatur. Si coram essem, exponerem,

nerem, quàm dissimilia sint hominum de negotiis istis judicia. Abfui enim ab aula ultra duos menses, quod tempus peregrinando confeci. Et in eô itinere cum multis bonis viris locutus fui, qui in hâc omnium rerum confusione nil habent, quod ad communem salutem conferant aliud, quam preces & lachrymas, Illustrissimus Elector Saxoniæ mense Januario in Saxoniam inferiorem, & inde ad Electorem Colonienſem negotiorum quorundam causâ proficiſci me jubebat. Sed cum Coloniam veniſſem, comperi, Electorem istum Pragam, ad exequias Imperatoris Maximiliani profectum. Coactus igitur fui eum eo usque sequi. Nil mihi gratius fuisset, quam Coloniæ Ill. D. Præposito, Ill. Vestræ D. Fratri innotescere; Sed neminem illic habebam, qui ad amicitiam ipsius mihi quasi fores aperuisset. Languetus noster dimissionem ex aulâ nostrâ petiit, & impetravit. Venit mihi obviam in Bohemiâ, Francofurtum ad nundinas contendens, ubi sperabat, se cum Illustri D. Vestrâ collocuturum. Pragæ incidi in Illustrem Dn. Comitem Ortenburgicum, Virum Optimum, qui suum illud antiquum Saxum in aula Cæsarea adhuc volvit. Non dubito, quin Illustris D. Vestra audiverit de tumultu, qui, dum funus Imperatoris duceretur, Pragæ ortus fuit, hominibus quasi Panico terrore correptis, ob nullam causam ita fugientibus, ac si aliquot millia Turcarum eos insecutæ fuissent. Pridiè ejus diei arx Casimiriana in Ungaria cœlo tacta magna ex parte conflagravit. Sunt certè ominosa ista; & tamen interim nihil tàm seriò cogitatur, quàm ut Pontifici probetur & Hispanis, aulam illam à vera religione quàm maximè abhorrere. In talia jam tempora incidimus. Sed de his rebus cuperem aliquando coram cum Illustri D. Vestræ colloqui, ac spero, datum iri, & brevi fortassis, ejus rei occasionem. Interim Illustris D. Vestra feliciter valeat, & me sibi habeat commendatum. Dresdæ XI. April. Anno CIↃ IↃ LXXVII.


Illustris Vestræ D.

observantissimus

Andreas Paull, D.


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [59] - 47




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [60] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [61] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [62] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [63] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 14, [64] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 14, [65] - -

PUBLIC DOMAIN